This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1/6

600085551U

welle k

DE

ÆSCHYLI

VITA ET FABULIS

COMMENTATUS EST

F. C. PETERSEN,

Dr. Phil.

HAUNIÆ, MDCCCXVI.

Apud J. H. Schubothe, Bibliopolam aulicum.

293. g. 59.

Absens, dum hic de Æschylo liber typis excudebatur, cogebar eum alienæ demandare curæ; belloqve tum temporis in Holsatia orto impediebar, quo minus ipse possem specimina typothetica recognoscere. Quod monere necessarium puto: ne tantæ, tamqve molestæ, qua hic refertus est liber, vitiorum typographicorum farraginis culpam lectores mihi adtribuant. Equidem spero, illorum vitiorum esse eius generis pleraque, ut appareat incuriæ typothetæ corrigentisve ea maximè deberi, nec posse auctori vitio verti. Verum cum ejusmodi vitiis haud raro impediatur turbeturqve sensus, diligentiorem in gravioribus colligendis ponendam esse operam duxi; lectoresqve rogatos velim, ut indicem ad finem libri evoluentes errata, saltem graviora, ante lectionem corrigant. Alia haud dubia in tanta multitudine oculos latuerunt; alia, quæ momenti esse videbantur minoris, consulto omissa sunt.

Potuissem facili negotio hunc librum multis partibus copiosiorem reddere: a quo me consilio abduxit quæstionum, quæ se offerebant, nonnullarum campus latissimus, utpote quæ librum viderentur potius, quam mentionem obiter injectam postulare. Quare doctæ editorum magistrorumqve interpretationi satis multa reliqui; aut singulis, et posthac forsitan scribendis commentariolis reservavi. Cavendum enim erat, ne nimis increscceret moles libri, eratqve in posteriori commentationis parte id inprimis efficere consilium, ut tragoediarum Æschylearum summa pulchritudo ex ipsis fabulis sine multis aliunde sumtis subsidiis ostenderetur.

Scribebam Hafniæ
Mense Septembris MDCCCXIV.

Corrigenda.

Pag	Lin.		
2.	8.	sere	sero
—	—	perveniat ut,	perveniat, ut
—	5 inf.	invæniri	inveniri
5.	6.	ut cum	ut, cum
—	16.	cemmentis	commentis
6.	lin. ult.	repugnant	repugnant,
17.	13.	Gelæ	a Gelæ
—	not.	Tom. II. p. 542.	Tom. III. p. 524.
—	—	καθίσατο	καθίσατο
—	—	litterii	litteris
18.	10.	excurrit,	excurrit
19.	15.	ορεννὴν	ῥρεινὴν
—	lin. ult.	Λεονίνας,	Λεοντίνας,
20.	lin. ult.	Catania	Catana — post fuit punct. pon.
23.	not. 22.	Dioscondis	Dioscoridis
26.	4.	emulationem	æmulationem
—	16.	videntur	videantur
27.	2.	primum	primam
29.	2.	quibns	quibus — statim post, duabus
30.	5.	corruerent,	corruissent,
31.	lin. ult.	mecumf atebitur	mecum fatebitur
32.	12.	selliorum	subselliorum
33.	19.	atque	artique
34.	not. 32.	pag. 419,	pag. 349,
36.	not. 34.	cronol. scan.	cronol. scen.
37.	18	somnirent,	somniarent,
—	4 inf	libr. III., 1.,	libr. III., 2,
38.	not. 40	πραγικὸς	τραγικὸς
43.	4 inf	qu. IV.	qu. X.
—	lin. ult	Ed. Reiskii.	Ed. Reizii.
45.	5.	λαβεῖς'	λαβεῖσ'
47.	13	Æschylo	Æschylo,
—	5. inf.	— 732 sqq. (Ed. Brunck) —	738 sqq. (Ed. Bergleri)
48	16.	vers 219:	vers. 217:
—	4 inf.	amplissimo honore	amplissimo honore ornatum
49.	14.	inquam	inquam,
52	4.	maxime	maxima
54.	8.	ac choro	a choro

Pag.	Lin.		
54.	5 inf.	lib IV. cap. II.	libr. VI. cap. II. pag. 244, Ed Olearii.
56	1.	vers. 239	vers. 889
60.	3 inf.	libr. IV.	libr. VI. et lin. ult. ἀποτάδην
61.	7 inf.	tantum	tantam
62.	5.	686	586
63	3.	Biographiæ,	Biographia,
—	6.	præ	pro
—	7	Nullo	Nulla
64	16.	illo inde	ab illo inde
65	18.	Quarum	Quorum
67.	not. 73.	σκηνῆς	σκηνῆς — ib. *Valkenaer.*
68.	1 n. ult.	not. 74.	not. 73.
69.	6.	Laudemqve	Laudem. Sic et alibi *to*: *que* del. *ex.* gr. 72, 9. 91, 9. 134, 12. 194, 15. et alibi.
—	8 inf.	θέριον	θερίον,
—	4 inf.	876.	816.
70.	3.	locu plet.	locuplet.
75.	not. 90.	cap. XXXI	cap. XXI
79.	4 inf	istiusm.	ad istiusm.
80	11.	equidem	equidem,
81.	4. inf.	Tom. IX	Tom IX, pag. 240.
83.	1.	Eiusque	Cuius
88.	lin. ult.	at magis	et magis
96.	10.	inspicatum	inspiratum
98.	21.	pugnaturum	pugnaturus
—	23.	expiendo	expiando
—	4 inf.	581	683
100.	4. inf.	paratum	paratur
103.	20.	subtilis	subtili — Comma post. Trag. del.
104.	16.	nos	nos,
—	4 inf.	quibus	qualis
105.	12.	posset.	possit.
107.	16.	Philoctete	Ajace
108.	lin. ult.	δαΐος	δαΐος
110.	6 inf.	intentusqve	interitusqve
112.	16.	periissent	periisset;
117.	8.	interpretatio. Leg.	interpretatio; leg. — ib. post *causa* comma del.
119.	5.	μελαγγίμε	μελαγχίμε — ib. ἥμαρ pro ἡμαρ.

Pag.	Lin.		
120.	8.	viderint,	viderant,
122.	5.	reverentia	nimia reverentia
124.	lin. ult.	potea	postea
125.	7.	reliquam.	reliquum.
127.	8.	pag. 445.	pag. 443,
130.	8.	persuadit,	persuadet,
135.	6.	virtutis	virtutis,
136.	4.	ipsique	quin ipsi
139.	14.	scientia	scientiæ
—	20.	auririqve	aurique
143.	1.	induxissa.	induxisse.
—	10.	tristria	tristia
145.	6.	ἀιθαλοῦσσα	ἀιθαλοῦσσα vers. seqq. Λευκ pro Δευκ.
148.	5 inf.	speremus	speramus,
152.	4 inf.	προστήμεναι	προσήμεναι
156.	7.	atrocia	atrocia facinora
—	19.	conveniunt.	conveniant.
163.	lin ult.	unis	imis
164.	lin. ult.	descrisit	describit
165.	8. inf.	cert	certo
166.	9. inf.	Erinnya	Erinnyis
167.	7.	petrocinio	patrocinio — statim post. *propria* pro propia.
—	lin. ult.	exprobrantses	exprobrantes — post objiciunt comma ponend.
168.	4 inf.	impio	impios
170.	12.	Ca-sandramque	Cassandram
172.	2 inf.	perrenem,	perennem,
174.	12.	nullis	nullisque
—	7. inf.	afferram	afferam
178.	10.	suspicor nostram	suspicor eruditos nostram
—	15.	conjecturam	conjectura
180.	10.	jussum	passum
—	8 inf	tertia quoque	tertia
188.	not. 25.	vers. 284	vers. 224
189.	6 inf.	casos	cæsos — stat. post. *suique* leg.
190.	7	corruptus	correptus
192	17.	ἐισᾶγαν	ἐισᾶγον
194	2.	179	209
195.	3.	victorem	viatorem
—	11.	andet	audet
—	lin. ult.	precepisse	præcepisse,
196.	2 inf.	κταίνειν	καίνειν

Pag.	Lin.		
197.	16.	ἐυοκέματα	ἐυορκέματα
200.	9.	de innocentia.	de innocentia sua.
201.	16.	poetæ deberi nomini,	poetam dèbere nemi
202.	lin. ult.	urbis	urbs
205.	5 inf.	507	507
207.	2.	possent,	possint,
—	5 inf.	vestigiis	vestigiisque
—	2 inf.	Orestis	Orestes
208.	8.	399	394.
—	7 inf.	auctoritate	auctoritati
212.	2.	575	573
—	9.	regia,	regio, — ib. lin. 15 *f* *qve* proforum
215.	9 inf.	denuntiavit,	denuntiaverat. Stat. *Liberatus* pro Li tusqve
—	3 inf.	773	775
222.	18.	lineis	laneis
—	19.	consedunt.	considunt.
—	22.	præsidio	præsidium
223.	3.	Palasgus	Pelasgus
—	6.	sanctequa	sancteque
224.	9.	siut,	sunt,

Man gewinne einen alten Schriftsteller nur erst lieb, und die geringste Kleinigkeit, die ihn betrift, die einige Beziehung auf ihn haben kann, hört auf uns gleichgültig zu seyn.

Lessing.

Artis poeticæ primam originem atque successus accurate diligenterque persequi, est opus difficultatibus impeditum haud sane minoribus, quam illæ, quibus tota antiquissima laborat generis humani historia. Nec id sane mirum! Simul enim cum genere hominum primordia nascuntur poeseos; sed more infantum ars nobilissima pulcerrimaque in fasciis et incunabulis diu balbutit; tandemque adulta memoriam infantiæ suæ non nisi subobscuram, et pæne nullam tenet. Neque de poesi tantum in universum, sed de singu-

lis quoque eius, antiquitus inventis, formis id licet pronuntiare. Temporis enim multum hominibus præterfluit, antequam posteris memoriam factorum suorum rerumque gestarum, variis rationibus, tandemque litteris discant relinquere. Eademque ratione poesis diu colitur, ut aucta studio multorum hominum, sere tandem eo perveniat ut, præstantia eius pulcretudineque perspecta, inquirant homines, quo sit inventa tempore, cuique auctori debeatur? Plerumque tamen frustra quærunt, ab indagatione veri impediti penuria monumentorum, et temporum longinquitate. Verum ita comparati natura, ut originem rei cuiusvis insignioris indagandi sint studiosissimi, temere in eiusmodi rebus, ne dicam stulte, persæpe homines versantur. Artisque, cum inventæ, tum perfectæ, gloriam atque honorem vulgo transferunt in unum fere aliquem hominem, qui temporibus antiquissimis fuerit ea in arte celeberrimus. Immemores etenim sunt subito nunquam, nec ab uno, vel ingeniosissimo, invæniri simul et perfici artes ingenuas et liberales posse. Cuius obliti, memoriam aliorum, qui optime forsan de artibus meriti sint, aut ob*litterant* plane, aut amandant ad fabulas ac

figmenta [1]). Quam rem post doctissimorum virorum accuratas subtilesque disquisitiones fusius explicare, haud esse opus censeo. Id vero hoc loco monitum sit, nec ea de re ulla est dissensio eruditorum, tantas esse eiusmodi quæstionum difficultates, ut cum diu multumque desudaveris, ad ultimum sæpe cogaris, nisi velis in meris acquiescere somniis, tuam confiteri ignorantiam. Quod si nobis, de Æschylo disputaturis, sæpius forsan acciderit, laboris tamen nos haud poenitebit; præstat enim, mea quidem sententia, compertum habere, ad plenam certamque veri cognitionem in rebus nonnullis nos haud pervenire posse, quam conjecturis vanis, opinionumque cemmentis turpiter ac misere deludi.

Hæc vero, quæ universam poesin, eiusque formas antiquissimas tangunt, in Græcorum quoque cadunt Tragoediam. Dici enim vix potest, quanta sit in eiusmodi rebus ex insigni Græcorum ἀνισορησίᾳ et ἀκρισίᾳ oriunda perturbatio; quam tantam esse non-

[1]) Conf. Thucydidem I, 20. οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχωρίᾳ σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασάνίστως παρὰ ἀλλήλων δεχόνται

nunquam invenies, ut vix cuiquam removenda interdum tibi impedimenta objiciantur. Huius vero in indagandis artium initiis tam confusæ temporum rationis culpa non tam in ultima sæcula, quam in lætissima græci ingenii florentissimaque tempora est coniicienda. Ea enim Græcorum indoles erat, ut in hilarissima rerum præsentia defixi, læte frui, oblectarique arte præclarissima potius, quam criticas in originem eius atque successus, disquisitiones instituere mallent. Nec multum dediti molestis lucubrationibus, cognitionem fere temporum vetustiorum, unice e poetarum carminibus repetebant. Unde factum est, necessario, ut de poesi Græcorum vetustissima nulla ipsorum veterum testimonia, nisi pauca, incertæque fidei, sibique non raro repugnantia, ad nostrum usque ævum pervenerint.

Græcorum autem poesis, proxime naturam secuta, ita effloruit, ut a simpliciori, planeque rudi forma ad artificiosiora semper progrederetur.

Memoria autem istius temporis, cum in rudimentis artis inconditis, et lusu quodam ingenii, commenta subitanea fundentis, *versarentur poetæ*, prorsus fere vetustate

evanuit [2]). Quibus rudimentis cum arti prolusum erat, Epopœa tandem exorta est, è cuius quasi fonte poesin insequentis temporis unice fluxisse videmus. Epopoeam carmina Lyricorum excipiebant, quorum variæ, diversæque indolis formæ exstitere. Celeberrimum autem græcæ poeseos cyclum Comoedia atque Tragoedia tandem absolverunt. Quibus natis, et ad maturitatem perductis, operi ingenii humani præclarissimo, suoque in genere unico impositum quasi fastigium est.

Ut vero magis succinctus postea opus, quod suscepi, aggrederer, constitueram primum paulo altius huius quæstionis initium repetere, græcæque tragoediæ ante Æschylum fata exponere. Verum hanc disputationis meæ partem, jam conscriptam, omisi postea brevitatis præsertim causa. Hoc itaque loco satis sit eorum, quæ omissa sunt, argumentum breviter indicare. Disputaveram primum de antiquissimis tenuissimisque artis tragicæ primordiis ad Thespidis ævum usque,

[2]) Aristoteles Art Poet. cap. IV, §. 9. *τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου ἀδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν ποίημα. εἰκὸς δὲ εἶναι πολλούς.* Conf. Ciceronis Brutum, cap. XVIII.

de eiusdem artis nominis origine, de primisque eius inventoribus, qui Thespide vetustiores inpropie hoc olim ferebantur nomine; ut sunt Theomis, Minos, Auleas, Epigenes Sicyonius. Deinde de Thespide, primo dignioris graviorisque tragoediæ auctore, et histrionis, a choro separatim agentis, inventore, ita disserueram, ut omnia, quæ ad hanc rem illustrandam gravioris momenti loca veterum essent, diligentissime colligerem atque afferrem. Postremo de Phrynicho, artis fines terminosque latius proferente, foeminas in scenam inducente, nec non versuum tetrametrorum trochaicorum inventore, plura tractaveram. Quibus ita monitis, ad nostrum nos convertamus propositum.

Æschylo, Euphorionis generosæ stirpis filio, natalis locus fuit Eleusis, templo et sacro Cereris celeberrimus pagus Atticæ regionis. Quo vero minus nascendi eius tempus paucis indicemus verbis, impedimur summa, cuius jam fecimus mentionem, græcorum hominum negligentia. Æschyli enim vitæ chronologia omnium fere maxime conturbata est, adeoque perplexa atque vexata, ut nihil possit supra. Nam cum plura veterum testimonia exstent, inter se repugnant vanitatis-

que, sive corruptionis notam præ se pleraque manifesto ferunt. Quæ collecta omnia inter se conciliare, aut ad certam et indubitatam fidei auctoritatisque ipsorum pervenire crisin, nunquam, ut opinor, poteris. Quod cum ita sit, bono confidens tuó judicio, sententiam, quæ esse videtur inter plures potior, eligere, argumentisque, quibuscúnque optimis poteris, firmare eam, atque munire debebis. Quam rem mihi instituenti, si inprudentius quid forsan exciderit, boni consulas velim.

Anonymus auctor vitæ, græce conscriptæ, Æschylum, coævum Pindari, Ol. XL. natum [3]), annos tres et sexaginta vixisse

[3]) Verba eius hæc sunt: συνεχρόνισε δὲ Πινδάρῳ, γεγονὼς κατὰ τὴν τεσσερακοςὴν Ολυμπιάδα. Verum ne de Pindaro quidem ipsi veteres consentiebant. In vita eius legitur: τέθνηκε δὲ ὁ Πίνδαρος ἓξ καὶ ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονὼς, ἢ ὥς τινες ὀγδοήκοντα ἐπὶ Ἀβίανος ἄρχοντος κατὰ τὴν ἕκτην καὶ ὀγδοηκοςὴν Ὀλυμπιάδα. Natus est igitur, ut illis videtur, Ol. fere LXIX, ut his vero, Ol. LXVI. Quo ex loco verba Biographi Æschyli emendari non posse quisque facile perspicit. Qua in re inprudenter tamen versatus est Petitus Miscell. III. cap. 14. Nec vox συνεχρόνισε necessario significat eundem utrique natalem fuisse annum.

perhibet. Quibus numeris computatis, Æschylum eficitur diem obiisse extremum Ol. LVI. 3. 5: anno fere sexagesimo tertio ante Marathoniam pugnam (Ol. LXXII, 2), cui poeta triginta quinque natus annos, dicitur interfuisse [4]). Nec libri manu scripti omnes eandem exhibent lectionem, sunt enim, qui præbeant Ol. LX. (ἑξεκοςὴν); quæ si vera lectio esset, Æschylum, cum in Marathoniis campis pugna committeretur, annos fere octo et quadraginta fuisse natum sequeretur. Quæ talis est temporum ratio, ut neque sibi, nec cum aliis et magis fide dignis testimoniis ullo possit modo constare. Quin etiam textum loci huius esse depravatissimum, scribarumque negligentiæ, aut male curioso ingenio tantum deberi errorem, ex illa insigni lectionis varietate luculenter admodum elucere suspicor. Veterem enim illum Biographum, in cæteris, quæ poetæ indolem ingeniumque attinent, quæque e scriptis procul dubio vetustioribus consarcinata sunt, haud omnino spernendum hominem, non mihi persuadere possum, ut credam, tam turpiter in notatione temporum fuisse aberraturum. Neque

4) *Marmor* Arundelianum: Epocha XLIX.

ad inventionem veri ex Suida magis proficimus. Æschylum enim refert, cum viginti quinque annorum esset, pro victoria decertasse Ol. IX. [5]); idemque addit non verius, illum annos νῆ (ɔ: LVIII.) natum vitam finivisse. Qua nescio, an maior possit cogitari temporum confusio! Duo præterea his adde veterum testimonia: alterum Biographi Sophocliis, alterum Scholiastæ Aristophanei ad Ranas. Quorum ille Sophoclem (cui Olymp. LXXI, 2.; natalem fuisse tradit), septendecim annis juniorem Æschylo ponens, huius nascendi tempus ad Ol. LXII, 1., refert. Ex loco autem Scholiastæ Aristophanei Æschylum Ol. LXIX, 3. lucem sequitur adspexisse. Hoc enim teste Æschylus septem modo annis Sophoclem antecedebat [6]).

Hæc vero omnia veterum scriptorum loca, aut parum accurate, temereque ab auctoribus posita, aut a librariis mirum in mo-

5) Ἠγωνίζετο αὐτὸς (ὁ Αἰσχύλος) ἐν τῇ Θ Ὀλυμπιάδι, ἐτῶν ὢν κε (Edit. Kusteri).

6) Ἦν γὰρ ὁ Σοφοκλῆς Αἰσχύλε μὲν ἔτεων ἑπτὰ νεώτερος, Εὐριπίδε δὲ κδ'. Recte vero Stanleius monet ex vita Euripidis supplendum esse Εὐριπίδε δὲ παλαιότερος κδ'.

dum depravata esse, facillime quisque perspicit. Diligenter autem seduloque cavendum, ne istiusmodi omnium errorum vitiorumque culpam in primos unice auctores coniiciamus. Mirum enim, quanti errores, quantæque tenebræ in temporum computatione, rebusque eiusdem generis plerisque, scribis sæculorum insequentium debeantur. De quibus tamen rebus plerumque, ne inter ipsos veteres quidem, ob tantam tamque insignem librorum inconstantiam, constitisse videtur. Quæ vero ab eruditis ævi recentioris viris in hanc rem sunt disputata, afferre omnia accuratiusque excutere, multi temporis, magnique laboris foret negotium, nec limites circumscripti libelli huius talem in disserendo admittunt prolixitatem. Qua præterea haud opus esse mihi videtur: quæstionem enim hanc valde obscuram difficilimamque, illustres cæterum eximiique viri, Casaubonus, Sam. Petitus, Meursius, Musgravius, aliique ad exitum nondum perduxeruut: id unice et solum agentes, ut corrupta veterum scriptorum loca, ad suam quisque emendarent opinionem [7]).

[7]) Biographi verba varie a doctis viris tentantur. *Casaubonus* ex. grat. corrigit: γεγονὼς κατ

In qua tanta harum rerum perturbatione nihil sane optabilius, quam monumentum antiquitatis aliquod, crebris illis depravationibus, quibus libri manu scripti vulgo corrumpuntur, nihil obnoxium. Nec in dubium revocari potest, quin eiusmodi, si exstaret, monumenti maxima esse deberet in his rebus disceptandis auctoritas. At vero tale vere, quale nuper descripsimus, monumentum exstat marmoreum, quod variis insignitum nominibus in hoc libro Marmor nos appellemus Arundelianum. Confectum est circiter Ol. CXXIX, ævo Ptolomæi Philadelphi, magnaque, ut diximus, est fide dignum [8]). Habemus enim vel hodie id, quale multis ante sæculis e manu prodiit auctoris; exceptis modo, quæ iniquitate temporum hominumve incuria mutilata sunt. Quin etiam publicis id factum esse sumtibus Bentleii, viri ingeniosissimi, et inter Criticos facile principis, sententia est. Cuius ingenio, Millique

τριτὴν καὶ ἑξεκοςὴν Ὀλ. — Petitus: γεγ. κατὰ τὴν πέμπτην καὶ ἑξεκ. Ολ. similiterque alii.

8) Bentleius, in opusc. philolog. Lipsiæ 1781. pag. 276, 286 et passim. Conf. Stanleium in Edit. Æschyli pag. 704.

doctrinæ, sollertique in Marmore conferendo, explendisque lacunis diligentiæ, accuratiorem multis partibus acceptam referimus huius marmoris cognitionem.

Epocha quadragesima nona Marmoris Arundeliani Æschylum tempore Marathoniæ pugnæ triginta quinque annorum fuisse docet. Hæc vero pugna nobilissima, eodem Marmore teste, anno CCXXVII. ante Marm. Arund. v. Ol. LXXII, 2. commissa est. Quo computato annorum numero, Æschylum Ol. LXIII, 3. archonte secundo Phoenippo, natum esse efficies [9]). Ad quam temporum confirmandam rationem multum accedit ponderis ex pleno consensu indiciorum, quo ille, quisquis fuerit, diligentissimus auctor Marmoris a turpi vanitatis ac temeritatis culpa sibi prudenter cavit. Postea enim (Epocha LX) poetam nostrum refert, cum annis vixisset LXIX, in Sicilia obiisse anno CXCIII ante M. A. ɔ: Ol LXXX, 4, magistratum Athenis gerente Callia primo [10]). Quæ notatio

[9]) Nomen Archontis mutilum est: ΔΕΥΤΕΡΟΝ . . Φ . . . Ν . . quamobrem de eo nihil quidem pro certo licet statuere; ipsi vero annorum numeri integri atque illæsi sunt.

[10]) Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Καλλίᾳ τῷ πρότερον. Literæ

temporis, cum Epocha quadragesima nona comparata, curam auctoris ac diligentiam probat.

Est vero inter eruditos de Callia controversia. Stanleius (l. c. p. 707.) filium fuisse eum Calliæ cuiusdam prioris censet. Seldenus magistratu eundem bis esse functum opinatur. Ego vero contra, Diodori Siculi magis auctoritatem probans, inter tres eiusdem nominis viros, qui magistratu omnes sunt functi, distinguendum esse censeo. Eorum illum, de quo hic sermo est, archontem fuisse refert Diodorus Ol. LXXXII., eodemque munere functum esse secundum quoque Calliam Ol. XCII, 1, tertium denique Ol. XCIII, 3. Quod vero de Callia illo primo Marmor Arund. et Diodorus Siculus uno anno discrepant, ægre est non ferendum. Olym-

quibus locus, ubi mortuus est, indicatur, mutilæ quidem sunt, ea vero, quæ supersunt: ... ΚΕΛΙΑΣ, de Sicilia haud fere dubitare sinunt. Iis autem, quæ sequuntur: ΕΝ..... ΑΙ, num Gela significetur, haud equidem decernere ausim; ex loco vero Plutarchi in Cimone, infra afferendo, perquam est verisimile. Conf. Epitaphium Æschyli, de quo post hæc nobis agendum erit.

piacum enim non eodem, quo astronomicum, mense annum incipere, oportet meminisse; in rebusque præterea arduis difficilimisque dissensus scriptorum tam levis non est magni admodum existimandus.

Sententia vero, quam de tempore mortis Æschyli nuper protuli, multum, ut mihi videtur, firmatur Scholiastæ Aristophanei verbis [11]: ἐτελεύτησε γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον. Quo in testimonio magna inest auctoritas; cum præsertim hoc ipso loco non obiter, sed data opera Scholiasta inquirat in chronologiam vitæ Æschyli. Efficitur ergo Æschylum, natum Ol. LXIII, 3, sero tandem, cum annorum esset sexaginta novem, Ol. LXXX, 4, vel LXXXI, 1, obiisse.

Hæc tandem quæstio ad liquidum quodam modo perducta jam posset videri, nisi novæ se obtruderent gravissimæque difficultates, quas Æschyli in Sicilia commoratio, cuius sæpius mentionem faciunt veteres, facessit nobis. Quæ tota res tantis tamque densis offusa tenebris, tantisque impedita est difficultatibus, ut vix unquam expediri posse

11) Scholia ad Acharnens. vers. 10. Edit. Biset. *Aurel. Allobr.* 1607. pag. 370.

videatur. Tamen ne nodum in scirpo, ut dicunt, videar stulte quærere, potissima nunc quæstionis huius momenta, ut judicet ipse unus quisque, afferam.

Æschylum, auctore Biographo, ad Hieronem se contulit, cum tyrannus ille Siciliensis Ætnam conderet. Idemque poetam nostrum, regi ipsi Gelæ et incolis earum, post trium annorum spatium, ibi mortuum esse addit, cum annos natus esset quinque et sexaginta. Hinc igitur, Biographo teste, sequitur, in Siciliam venisse Æschylum, dum viveret Hiero, occupatusque esset in urbe Ætna condenda: cuius urbis civibus fabulam Αἰτναι [12]) docens poeta, felicem ipsis beatamque vitam dicitur auspicasse. Primum quærendum igitur est de ætate vitæ Hieronis, deinde de tempore, quo sit ab ipso condita Ætna. Quibus quam accuratissime exploratis, videamus denique, num inde quid possit effici ad vitæ Æschyli enodandam enucleandamque chronologiam.

Gelonem, Syracusarum occupata tyrannide, Hieronem fratrem suum Gelæ urbi præ-

[12]) Conf. Macrobii Saturn. Lib. V, cap. 19. p. 137. Tom. II. Edit. Bys.

fecisse, apud Herodotum [13]), aliosque scriptores legimus. De tempore vero, quo id factum sit, docti dissentiunt [14]). Verum ego eorum recensendis sententiis ac conjecturis supersedeo, ne in iis enumerandis diiudicandisque, sine fructu videar oleum operamque industriæ perdere. Fretusque Marmoris Arund., Diodori Siculi, aliorumque [15]) auctoritate, cessionem illam imperii refero ad Ol. LXXV $\frac{2}{3}$, cum Archontis munere Athenis Timosthenes fungeretur. Nec multis post annis, Ol. LXXVI, Geloni Hiero successit in Syracusarum imperio [16]). Cui re-

13) Herodot. libr. VII, cap. 156.

14) Cum locis scriptorum infra afferend. conf. Pausaniam in descript. Græc. lib. VI. pag. 473. (Ol. LXVII, 2.)

15) Marm. Arund. Epocha LIV. Diodorus Sicul. Ed. Wesselingii Tom. I. libr. XI p. 433. Mongitor in Bibl. Sicula pag. 271. Cum his Eusebius fere consentit annum ante Ch. n. 478. huic assignans facto. Conf. Ricceolium in chron. reform. in catal. pag. 176.

16) In ipso Marmore ita insculpti exstant numeri: ΗΗΠΙΙΙΙ, 208, vid. Epocham LVI. Unum vero annum editor, quem sequimur, supplevit.

gno quamdiu præfuit, nequit nunc accuratius definiri; inprimis cum in hac notatione temporum ne ipse quidem, quem sæpius laudamus, Diodorus Siculus sibi constet. Refert enim (Tom. I. pag. 434.) annos undecim, mensesque octo regnasse Hieronem: postea vero (ibid. pag. 454.), eiusdem rei mentionem injiciens, undecim quidem annos, non vero octo menses commemorat. Quæ dissensio, (ex auctoris incuria forsitan orta, sed nobis æque molesta), si ne esset quidem, dicere vix tamen posses, utrum Diodorus initium imperii Hieronis Gelæ; an Syracusarum regno suscepto deduxerit. Quo vero diligentius hanc rem considero atque perpendo, eo firmius mihi persuasum est: istius

Cuius emendandi rationis viam ipsum Marmor ei suspicor præmonstrasse. Id vero utcunque sit, ad hanc tamen temporum rationem conprobandam faciunt Scholia in Pindari Pyth. III. (Edit. Heynii, Tom. II. pag. 542.): *καθίσατο δὲ ὁ Ἱέρων βασιλεὺς κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν ἕκτην* Ολ. In re gravissima dolendum sane est, integrum illæsumque non esse Marmor Arundelianum. Ne de Archontis quidem nomine constat; e residuis vero litterii: Χ .. ΗΤΟΣ docti viri conjecerunt *Χορητος* legendum esse.

regni initium Diodorum Siculum a tempore, quo Hiero præficeretur Gelæ (Ol. LXXV $\frac{2}{3}$), repetivisse. Cuius sententiæ hæc est ratio. Tertio quodam loco (l. c. p. 451.) Diodorus Hieronem, quem post mortem summo prosequebantur honore Siculi, occidisse refert Ol. LXXVIII, 2, Athenis Archonte Lysistrato, Consulibusque Romæ L. Pinario Mamercino, et Furio Fuso [17]). Quibus de annis subtracto spatio undecim et quod excurrit, annorum, Ol. LXXV. $\frac{2}{3}$ prodit; quo tempore imperium Gelæ Hieroni fratrem cessisse liquet e superioribus. Constat igitur, Æschylum, qui ante obitum Hieronis teste Biographo, Siciliam venit, eo venisse ante Ol. LXXVIII, 2.

Idem vero noster Biographus Æschylum Siciliam venisse narrat, cum conderetur a Hierone Ætna. De qua urbe, deque nominibus Ætnæ atque Catanæ, cum, in quo acquiescam, nihil unquam me legere memini, constitui pauca disserere. In qua disputationis parte, ut semper, temeritatis vanitatisque, quoad possum, reprehensionem evi-

17) Hieronem alii obiisse traduunt Ol. LXXIX, 3; quibusnam vero rationibus hanc suam superstruant opinionem, nescio.

tans, veritatem ex locis Diodori Siculi atque Strabonis conjunctis comparatisque [18]) elicere conabor.

[18]) Duobus inprimis locis: altero Strabonis (libro VI. pag. 411—12. Ed. Amstel.), altero Diodori Siculi (libro XI. pag. 441), quæstionem hanc prorsus confici et expediri posse suspicor. Strabo l. c. hæc habet: ἀπέβαλε δὲ τοὺς οἰκήτορας τοὺς ἐξ ἀρχῆς ἡ Κατάνη, κατοικίσαντος ἑτέρους Ἱέρωνος τοῦ Συρακουσίων τυράννου, καὶ προσαγορεύσαντος αὐτὴν Αἴτνην, ἀντὶ Κατάνης . . . . . κατὰ δὲ τὴν τελευτὴν τοῦ Ἱέρωνος κατελθόντες οἱ Καταναῖοι τούς τε ἐνοίκους ἐξέβαλον, καὶ τὸν τάφον ἀνέσκαψαν τοῦ τυράννου. οἱ Αἰτναῖοι παραχωρήσαντες, τὴν Ἴνυησαν καλουμένην τῆς Αἴτνης ὀρεινὴν ὤκησαν, καὶ προσηγόρευσαν τὸ χωρίον Αἴτνην, διέχον τῆς Κατάνης σταδίους ὀγδοήκοντα, καὶ τὸν Ἱέρωνα οἰκιστὴν ἀπέφηναν. Diod Sic. l. c. Ἱέρων δὲ τοὺς Ναξίους καὶ τοὺς Καταναίους ἐκ τῶν πόλεων ἀναστήσας, ἰδίους οἰκήτορας ἀπέστειλεν, ἐκ μὲν Πελοποννήσου πεντακισχιλίους ἀθροίσας, ἐκ δὲ Συρακουσῶν ἄλλους τοσούτους προσθεὶς. καὶ τὴν Κατανὴν μετωνόμασεν Αἴτνην, τὴν δὲ χώραν, οὐ μόνον τὴν Κατάνειαν, ἀλλὰ καὶ πολλὴν τῆς ὁμόρου προσθεὶς κατεκληρούχησε, μυρίους πληρώσας οἰκήτορας. τοῦτο δ' ἔπραξε σπεύδων ἅμα μὲν ἔχειν βοήθειαν ἑτοίμην ἀξιόλογον πρὸς τὰς ἐπιούσας χρείας, ἅμα δὲ καὶ ἐκ τῆς γενομένης μυριάνδρου πόλεως τιμὰς ἔχειν ἡρωϊκάς. τοὺς δὲ Ναξίους καὶ Καταναίους ἐκ τῶν πατρίδων ἀπαραθέντας μετῴκισεν εἰς τοὺς Λεοντίνους, καὶ μετὰ τῶν

Urbis Catanæ incolas, simul cum Naxiis, e suis exturbatos sedibus, ad Leontinos Hiero deduxit, ut in posterum cum civibus civitatis huius cohabitarent. Novosque e Syracusis ac Peloponneso eorum in locum sufficiens colonos, urbem non amplius Catanam, sed Ætnam appellari jussit. Quod duplici instituit consilio: partim, ut auxilium promtum paratumque semper haberet eorum, qui ob datas sedes, vinculis beneficii obstricti essent, partim, ut hoc facto gloriam pararet sibi atque honorem. Quod ipsi contigit quoque. Cum enim ex Olympiis redux, in urbe, olim Catana, nunc Ætna appellata, mortuus esset [19], incolæ urbis huius, exstructo sepulchri monumento, honores ipsi

ἐγχωρίων προσέταξε κατοικεῖν τὴν πόλιν. Conf. schol. in Aristophanis Aves pag. 585. Edit. Biseti.

19) Diodorus Sic. libr. XI. cap. LXVI, pag. 454. negligentius ita scribit: Ἱέρων δὲ ὁ Συρακουσίων βασιλεὺς ἐτελεύτησεν ἐν τῇ Κατάνῃ, καὶ τιμῶν ἡρωϊκῶν ἔτυχεν, ὡς ἂν κτίστης γεγονὼς τῆς πόλεως. Utitur Diodorus nomine, tum temporis non usurpato. Nam urbi, quæ ante imperium Hierōnis, et postea, ipso mortuo, Catania appellabatur, tunc Ætna nomen fuit,

heroicos decreverunt. Postea vero, Hieronis post mortem, cum hoc potentissimo fautore ac tutore destituti essent Ætnæi, priores illi ex Leontinis reversi incolæ antiquas suas recuperarunt sedes, colonos, aliunde eo deductos, expulerunt, deletoque mausoleo, quod Hieroni exstructum erat, pristinum Catanæ nomen restituerunt. Isti vero, qui annis non multis antea, jussu Hieronis, eo commigraverant, sedibus nunc expulsi, regionem, cui nomen Innesa, Ætnæ montis adjacentem radicibus, deligentes, novamque ibi condentes urbem, nomen ei indiderunt Ætnæ. Memoriamque Hieronis pie grateque recolentes, amplissimis eum, tanquam conditorem urbis, prosecuti sunt honoribus. Ex quo tempore urbes celeberrimæ Ætna atque Catana, spatio octoginta stadiorum invicem distantes, in illa regione floruerunt (vid. not. 18.).

Ætnam vero (Catanam ad id usque tempus nominatam), condidit Hiero, novosque eo deduxit incolas, Ol. LXXVI, 1. [20]), quo tempore Syracusanum nondum acceperat regnum (vid. sup.). Ex his autem temporum explicatis ordinibus, secundum Biographi

[20]) *Diodorus Siculus* libr. XI, cap. 49.

jam supra positum testimonium, sequitur: Æschylum Siciliam esse profectum Olymp. LXXVI init. Dicitur enim eo venisse, dum Hiero Ætnam conderet. At vero illo jam tempore ɔ: Ol. LXXVI init. Æschylum suam deseruisse patriam, pro certo vix poteris affirmare, nisi levissima veri specie contentus, negligas graviora. Cum enim Olympiade sequenti (LXXVII) vinceretur a Sophocle, Athenis procul dubio adhuc fuit (conf. inf.) Quod vel ex iis, quæ de causa itineris huius apud veteres passim feruntur, luculentissime constat. Nihil igitur ratum certumque est, nisi ante obitum Hieronis, ɔ: ante Ol. LXXVIII, 2, relicta patria, Siciliam se contulisse Æschylum. Nec huic sententiæ illa, quam Ætnæis dicitur docuisse, fabula obstat. Aut enim fallor egregie, aut potuit Æschylus, vel pluribus post urbem conditam annis, prosperas atque felices res in futurum tempus civibus ominari [21]): cum præsertim talem captationem favoris et benevolentiæ, gratam acceptamque et regi et civibus prævideret fore.

[21]) Conf. Boeckhium de græcæ trag. principibus. *Heidelb.* 1808. pag. 51.

Ne vero huc illuc turpiter nostra fluctuet disputatio, hoc loco mihi pauca ante afferenda esse videntur, quam in spinosam, quin prorsus fere conclamatam desperatamque quæstionem de causis huius itineris inquiramus. Æschylus Ol. LXXX ½, cum ageretur Orestias, victoriam reportavit tragicam, hirco (τράγῳ) non amplius remuneratam. Fuerat quidem antea, ætate Thespidis [22]), in usu istud præmii genus; postea vero neque in Marm. Arund., nec alibi commemoratur; et perquam verisimile est (ut credit quoque Bentleius), simul cum cæteris, quæ a Plutarcho in libro περὶ φιλοπλάτε' afferuntur, præmiis istud exolevisse, ex quo præter coronam populi atque applausum amplius ac maius nihil tragici desiderarent. Quod vero istam attinet celeberrimam victoriam, confitendum est nos plane nescire, utrumne isto tempore (Ol. LXXX ½) Athenis ipse fuerit, necne, poeta. Non enim

[22]) Marm. Arund. epocha quadragesima, ubi de Thespide sermo est, habet: καὶ ἆθλον ἐτέθη ὁ ῥάγος (ὁ τράγος). Dioscondis aliquod in Thespin epigramma sic incipit: ὦ τράγος ἆθλον. Conf. præterea Horatianum illud:
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

ullum exstat scriptorum veterum testimonium, unde si minus certo scire, at conjicere tamen liceat, Æschylum postquam peregre abiit, Athenas reversum esse. Cogimur ergo alterum e duobus eligere. *Aut* enim est confitendum, Æschylum, procul degentem patria, Orestiadem Athenas misisse [23]), ut a filiis aut amicis publice doceretur, (quæ mihi conjectura haud veri esse videtur absimilis), *aut* reducem illum interfuisse celeberrimo huic certamini, pauloque post, o: eadem Olympiade, honore, laude, et gloria cumulatum, Siciliam rediisse Nam nihil est certius, quam ibi eum mortuum esse. Ex his vero omnibus id liquet unum, hanc omnem rem, in mera positam conjectura, ad liquidum nunquam, nisi novi aperiantur cognitionis fontes, perduci posse.

De causis vero itineris, quæ narrantur, æque sunt incerta omnia, adeoque fluctuant, ut ne constet quidem, utrumne sponte, an coactus Æschylus exsulaverit. Levissime tamen hanc rem persequi mihi videntur, qui Æschylum, cum a Simonide victus esset, elegia quadam facta in eos, qui ad Maratho-

[23]) Conf. Boeckhium l. c. pag. 41, et passim.

nem pro patria occubuissent, in exsilium abiisse narrant [24]). Haud sane negem, victum esse a Simonide Æschylum [25]); multum enim acutum eius atque sublime ingenium a tenuitate abhorrebat poeseos elegiacæ [26]). Verum nullam prorsus veritatis, aut probabilitatis speciem habet, Æschylum, summum et celeberrimum virum, eam ob causam fuisse patriam relicturum; nec quidquam, quanto equidem sciam, apud scriptores antiquos invenitur, quo illa firmetur opinio. Constat præterea Simonidem, anno ætatis LXXXIX mortuum esse Ol. LXXVII, 4, eo fere tempore, cum Siciliam abiret Æschylus. Ostenditque P. G. Dukerus in dissertatione de Simonide Ceo, præside Goens,

24) Biogr. Æsch.: κατὰ δὲ ἑνίους, inquit, ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ.

25) Composuisse Æschylum Elegias constat ex Suida voc. Αἰσχύλ., Theophrasti Hist. plant. lib. IX, cap. V, pag. 1116. Amstelod. Plutarchi Sympos. libr. I, quæst. 10. et Plin. XXV, 2. Parisiis apud Franciscum Muguetum 1685. Tom. IV. pag, 376.

26) Biographus habet: τὸ γὰρ ἐλεγεῖον πολὺ τῆς περὶ τὸ συμπαθὲς λεπτότητος μετέχειν θέλει, ὁ τοῦ Αἰσχύλου, ὡς ἔφαμεν, ἐστὶν ἀλλότριον.

Trajecti ad Rhenum habita (1768), certamen illud elegiacum esse commissum Ol. LXXIII, 1. Unde patet, illam Æschyli ac Simonidis emulationem nullo modo posse ad Æschyli peregrinationem referri [27]).

Idem refert Biographus, Æschylum, secundum testimonia aliorum, ab Atheniensibus neglectum posthabitumque, et a juvene Sophocle in ludis tragicis victum, sese contulisse ad Hieronem tyrannum Siciliæ. In quo testimonio magna, parvique nullo modo ducenda, videtur esse auctoritas. Senex enim, ac laude multarum victoriarum ornatus Æschylus clade illata sibi a juvene non potuit non offendi gravissime, præsertim cum plura eodem tempore videntur evenisse, quibus in ipsum ira populi accenderetur.

Plutarchus in Cimonis vita nobilissimum hunc ducem Atheniensium, reportatis Thesei ex insula Scyro ossibus, maximum sibi favorem gratiamque populi conciliasse refert. Pergit idem (verba Plutarchi e versione Xylandri [28]) sunt): "Itaque et memoriæ causa

[27]) De ætate Simonidis conf. Bentleium l. c. pag. 170—172.

[28]) Plutarchi vit. paral. Guil. Xylandro interprete. *Tom. II*dus Franc. ad Mæn. 1592.

judex in nobili illo tragoediarum certamine constitutus est. Cum enim primum fabulam Sophocles juvenis adhuc doceret, orto inter spectatores dissidio et rixa, princeps civitatis Aphepsion certaminis illius nullos delegit arbitros, sed Cimonem una cum collegis in theatrum progressum, cum is Deo rite libasset, retinuit, juramentoque adactos coegit considere atque judicare. Erant autem unus ex quavis tribu. Fuit id certamen vel propter judicum auctoritatem ardentius. Vicisse Sophoclem traditur; Æschylumque ægerrime id tulisse, pauloque post irato animo in Siciliam concessisse, ubi et mortuus, et juxta Gelam sepultus est [29]). In hoc igitur certamine plura videmus conjuncta fuisse, quibus gravissime commoveretur poeta generosissimus. Populi enim tumultus, summa auctoritas judicum, et Sophoclis, nunc primum artem tragicam auspicantis, ætas juvenilis, — quantum sin-

[29]) Ultima huius loci verba hæc sunt: *νικήσαντος δὲ Σοφοκλέους λέγεται τὸν Αἰσχύλον περιπαθῆ γινόμενον, καὶ βαρέως ἐνέγκοντα, χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἶτ' οἴχεσθαι δι' ὀργὴν εἰς Σικελίαν, ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαπται.* Conf. supra not. 10.

gula ad cladem graviorem reddendam procul dubio fecerint, quisque intelligit.

Ad accuratam vero huius rei disquisitionem momenti est magni, unum inprimis certum et indubitatum exstare testimonium antiquitatis de tempore, quo certamen illud tragicorum commissum sit. Marmor enim Arundelianum (Epocha LVII) manifesto tradit: Sophoclem, annum vicesimum octavum agentem, vicisse tragoedia Ol. LXXVII, 3, cum Athenis Aphepsion, s. ut dicitur nonnunquam Apsephion, archon esset. Quo in loco id ipsum significari certamen, cuius quoque mentionem facit in Cimone Plutarchus, dubitari non potest. Huc accedit praeterea Diogenis Laërtii, uno tantum anno differentis, testimonium: ad quartum enim eiusdem Olympiadis annum ille istud refert certamen. Quo minimo, et fere nullo discrimine temporis a mea non deductus sententia, certamen celeberrimum istud commissum esse Ol. LXXVII $\frac{3}{4}$ haud dubitanter pronuntio. Id igitur mihi videor effecisse, fuisse Athenis Æschylum adhuc sub finem Ol. LXXVII, et paulo post, 2: ante Ol. LXXVIII, 2. in Siciliam abiisse. — At est sane mirum, gravissimumque graecorum hominum negligentia

documentum, ne titulos fabularum quidem, quibus illo die summi poëtæ, Æschylus atque Sophocles, decertaverint, esse proditos memoriæ. Res est igitur anceps atque difficilis; verum aut nihil equidem video, aut docuit Æschylus illo in certamine Orestiadem: quam duabus tantum tragoediis, Choëphoris Eumenidibusque, tum temporis constitisse, mea qualiscunque est, accuratius postea explicanda, argumentisque confirmanda sententia. Hoc autem loco monere sufficit, harum fabularum unam saltem Æschylum postea retractasse, ut ignominiam acceptam depelleret, gratiamque ac favorem Atheniensium sibi reconciliaret. Quod Eumenidibus evenisse, ut diversa fortuna, multisque partibus mutata, bis exhiberetur, cum Boeckhius ostendit in libro, a me laudato sæpius (cap. IV.), tum ea luculenter evincunt, quæ de victoria tragica Ol. LXXX reportata narrantur, cum aliis comparata, quæ de valde horrendo fabulæ huius effectu alibi afferuntur. Sed de his postea, nunc ad cætera est pergendum.

Traditur apud Suidam: Æschylum, Pratinam et Choerilum de victoria inter se de-

nimium tribuere videar argumento, aliud nunc afferam, quo magis, ut duplicem ruinam subselliorum negem, commoveor. Si bis conciderint tabulata, necesse est concidisse ea primum Pratina, nescio quo tempore, deinde Æschylo Athenis publice docente fabulas non diu ante Ol. LXXVIII. Post hoc enim tempus, neque insignem aliquam factam esse tabulatorum ruinam, nec novum exstructum esse theatrum pro certo statuere ausim. At vero animadvertas velim, Suidam, post illam selliorum, cum Pratinas tragoediam ageret, ruinam factam, theatrum referre de novo esse ædificatum. Quid vero? num, quæso, licet credere, Suidam, posteriori ac memoratu multo digniori theatri ædificatione silentio prætermissa, priorem illam, et procul dubio ignobiliorem fuisse commemoraturum? Quod probare absurdum mihi videtur; est enim in rebus modus, et certi fines, quos transgredi ne compilatoribus quidem licet. In qua tam iniqua atque implicita conditione rerum nihil, quantum equidem video, restat, nisi ut confugiens ad conjecturas, quid sentiam, dicam. Non est igitur cur tres illos, qui apud Suidam commemorantur, tragicos negemus Ol. LXX cer-

tamen publicum iniisse. Verum hoc certamen ostendi nuper nullo modo referri debere ad subselliorum ruinam; quam unam eandemque, non duplicem, in utroque loco Suidæ commemorari mea sententia est. Cui aliquid in superioribus inesse defensionis spero: sed tamen pluribus comprobanda est argumentis, ut eam non vanam esse et temerariam, nec sibi, nec aliis, quæ de Pratina, et de exstructione theatri narrantur, repugnare appareat. Constat igitur Pratinam Ol. LXX. tragico se obtulisse certamini; quamdiu vero posthac vixerit, plane atque omnino nescimus. Tota enim silet antiquitas, nec verbo quidem ab ullo veterum quando sit mortuus, indicatur. Illi vero certamini satis diu eum superstitem suam exercuisse artem, ex iis non dubitanter colligo, quæ ex Suida de theatro, Pratina adhuc vivente atque operante, exstructo nuper allata sunt. Quod si non prorsus abhorret a veri similitudine, concedendum est quoque, post Ol. LXX cum Æschylo de victoria Pratinam contendere, et in tali quodam certamine tabulata concidere potuisse. De tempore quidem, quando id factum sit, haud constat: verum ego, qui destitutus scriptorum testimoniis, probabilia conjectura sequor, non

diu ante peregrinationem Æschyli hoc suspicor evenisse. — Ad quam commendandam conjecturam meam haud parum facere mihi videntur ea, quæ de Agatharcho, pictore quodam, narrantur. Vitruvius enim (in præfat libri VII) refert, Agatharchum, tragoediam docente Æschylo, scenam fecisse o: pinxisse, s. exornasse, commentariumque de ipsa scriptum reliquisse. Bentleius vero præclare ostendit [32]), Agatharchum ne potuisse quidem diu ante Ol. LXXX. scenam exornare, utpote qui esset eo fere tempore adhuc juvenis. Hanc autem exornationem scenæ, sub Ol. LXXX. factam, ab ædificatione theatri sæpius commemorata, annis non adeo multis distare censeo. — Illa vero tabulatorum ruina, utrumne celeberrimo isti Æschyli atque Sophoclis, an alii cuidam, sed proximo tamen, certamini assignanda sit, nunc certo

32) Bentleius l. c. pag. 419, quicquid de Agatharcho invenitur apud scriptores veteres, congessit. Pictor fuit αὐτοδίδακτος, quales fuisse plures in variis artibus temporibus antiquissimis perhibentur. Conf. Olympiodorum in comment. ms. in Phædonem: γεγόνασί τινες καὶ αὐτοδίδακτοι, Ἡρακλείτος ὁ Αἰγύπτιος γεωργός ..... φήμιος, Ἀγάθαρχος ὁ γραφεύς.

nequit dijudicari. Verba autem Plutarchi: φιλονεικίας ἔσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν (etiamsi aliam quoque admittunt interpretationem), si cui forsan persuaserint, eodem anno, quo summi decertarent poetæ, theatrum esse collapsum, haud equidem vehementer dissentiam. Nec est sane magis absurdum, Plutarchum rixæ huius atque dissidii causam, quam titulos fabularum silentio transmisisse.

Unum denique restat, quod ira atque indignatione gravissime commotum Æschylum impulisse videtur, ut, patria relicta, peregre proficisceretur. Constat enim in civitate Attica perpaucos summorum et præstantissimorum virorum, civium effugisse calumniam atque obtrectationem. A qua parte plerisque aliis haud fuit fortunatior Æschylus. Ælianus [33]) enim eum incidisse in gravissimum impietatis crimen, poenamque capitis interventu Amyniæ fratris vix aut ne vix quidem evasisse tradit. Huius vero criminis plures, sed dubiæ auctoritatis, causæ in priscis libris passim feruntur. Sic alii ob horrendum ornatum accultum, quo instructæ

[33]) Ælian. in var. hist. libr. V. cap. 19. Edit. Conradi Gesneri pag. 433.

Furiæ in fabula Eumenidibus apparebant, poetæ litem esse intentam existimant [34]). Alii amore nimio quodam mythologiæ Ægyptiacæ populi eum Attici odium sibi contraxisse putant. Dianam enim, ut solebant Ægyptii, Cereris (Δήμητρος), non veteris Græciæ more Latonæ filiam dicitur nominasse [35]). Alii denique, non temere, mea quidem sententia, arcana mysteriorum quædam eum referunt divulgasse. Quo facto, gravissima acerbissimaque excandescentes ira Athenienses in theatro mox illum fuissent trucidaturi, nisi ad aram Bacchi, tutelaris tragoedorum numinis, confugisset. Interventuque Areopagitarum prudentissime cautum est, ne violentius quid per vim ageretur. Illique judices, justitiæ æque ac humanitatis ornatissimi laudibus, ardorem compescentes populi, reum in judicium adducendum esse postulabant, causaque cognita, Æschylum, inprimis ob summam fortitudinem in pugna Marathonia præstitam, omni liberatum culpa

34) Exempl. grat. Musgravius in chronol. scan. Conf. Boeckhium l. c. pag. 39.

35) Herodot. libr. II. cap. 156. Conf. Pausan libr. *VIII. cap*, 37. pag. 676.

dimittebant [36]). Quo in judicio poeta sese defendendi causa dicitur contendisse, se, utpote non mystam, ignorasse ea, quæ divulgaverat, et in medium quasi protulerat, esse arcana et ἀπόῤῥητα mysteriorum. De tempore, autem, quo in hoc tam periculosum crimen inpietatis incurrerit noster, nihil quidem exploratum est atque compertum; non diu vero ante peregrinationem eius evenisse id suspicor. — Quibus omnibus in unum ita collectis, quantumque eius fieri potuit, explicatis, nunc cætera persequamur.

Nomen patris in superioribus jam nominavi. Plures fuerunt antiquo tempore viri nomine Æschyli, de quibus videsis Fabricium (in Bibl. Græc. Tom. II. pag. 164. [37]). Quo ex loco fuisse olim videmus, qui de Siculo quodam Æschylo tragico somnirint, cuius opinionis satis aperta temeritas est. Fratres habuit duos, Amyniam ac Cynægirum, bel-

36) Conf. Clem. Alexand. Strom. libr. II. Ed. Oxon. pag. 461.; nec non Aristotelem de morib. ad Nicomachum libr. III, 1., et ad hunc locum præsertim Eustrathium (de quo vid. Fabric. in Bibl. græc. Tom. III. pag. 264. Ed. Harles.)

37) Conf. *Stanleius* ad Æschylum pag. 699—700.

lica laude, vulneribusque acceptis pro salute patriæ utrumque celeberrimum. Marathoniæ enim pugnæ Cynægirus [38]), Salaminiæ Amynias simul cum fratre interfuisse narrantur. Suidas tertium, inter illos medium, fratrem adjungit, nomine Euphorionis, omnesque strenue pro patria decertasse in campis Marathoniis refert (voc. Αἰσχύλος). Filii poetæ nostro duo fuerunt tragici, Euphorion et Bion [39]); quorum Euphorionem, qui et ipse fabulas scripsit, dramatibus Æschyli patris quater victoriam reportasse, ex Suidæ constat testimonio [40]). De reliqua nostri poetæ familia tragica doctissimè Boeckhius disputat l. c. pag. 31—34. [41]).

38) De Cynægiro, Euphorionis filio, apud Herodotum libr. VI. cap. CXIV traditur, eum puppim hostilis navis apprehendentem, manu esse truncatum.

39) De Bionis in duob. manscris varie scripto nomine vid. Küsteri not. ad Suidam voc. Αἰσχύλος.

40) Suidas: Εὐφορίων, υἱὸς Αἰσχύλου, τοῦ τραγικοῦ, Ἀθηναῖος, τραγικὸς καὶ αὐτός. ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, τοῖς μήπω ἐπιδεικνυμένοις, τετράκις ἐνίκησεν. ἔγραψε δὲ καὶ οἰκεῖα.

41) Hoc in loco haud bene sibi constare videtur *Boeckhius*, nisi fortassis gravissimus error

Æschylus, non minori fortitudinis, quam ingenii laude illustris, tribus pugnis: Marathoniæ, Salaminiæ, nec non Platæensi, quarum nunquam, nisi cum ipsis hominibus, peribit memoria [42]), dicitur interfuisse. Nec sane est, quod miremur! Quanta enim fuerit, quamque generosa eius animi virtus, quantoque ille viguerit amore patriæ, vel e dramatibus eius, summam ac prope singularem spirantibus animi magnitudinem atque generositatem, licet cognoscere [43]). Quod suo quoque firmat testimonio epitaphium [44]):

typographicus in his insit verbis: "Filios, inquit (pag. 31.), eius novimus duos, Bionem tragicum et Euphorionem, quibus forsan superstes pater, cum in Sicilia habitaret, edendas Athenis fabulas dedit; certe defuncti patris hic correctas commisit".

42) Cicero in Quæst. Tusc. I, 46. perquam lepide atque venuste pugnam Salaminiam ita laudat: "ante enim Salaminiam ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropæi memoriam".

43) Exempl. grat. Septem advers. Thebas. Conf. Aristophanis Ranas 1053—54.; ibid. de Persis Æschyli vers. 1058. dicitur, finem fuisse fabulæ huius, ut civium animi ad fortem strenuumque amorem patriæ corroborarentur, conf. ibid. vers. 1097.

44) Huius Epithaphii altera pars apud Plutarchum

Αἰσχύλον Εὐφορίωνος Αθηναῖον τόδε κεύθει
Μνῆμα καταφθίμενον πυροφόροιο Γέλας.
Ἀλκὴν δ' εὐδόκιμον Μαραθώνιον ἄλσος ἂν εἴποι
Καὶ βαθυχαιτήεις Μῆδος ἐπιστάμενος.

De huius autem epitaphii auctore est inter eruditos controversia. Alii enim putant ipsum sibi Æschylum id posuisse; alii vero conscriptum a Geloïs id eius incisum esse monumento existimant. Cuius opinionis præter Menkenium [45]), Harlesius est, nullo graviori, ut suspicor, argumento adductus ad eam sententiam comprobandam. Levissimum enim, nisi aliis fulciatur argumentis, testimonium est Biographi, hominis, in historicis, ut vidimus, rebus vani ac temerarii. Altera vero conjectura, qua ipsi Æschylo auctori epitaphium assignatur, esse mihi videtur ad veritatis similitudinem propensior: habet enim, quibus se tueatur, atque defendat, Athenæi, nec non Pausaniæ diserta te-

in libro de exilio, Edit. Reiskii Vol. VIII. pag. 385, altera apud Athenæum libr. XIV. cap. VI. pag. 627.

45) Menkenius in bibliotheca virorum militia æque ac scriptis illustrium pag. 20. Harlesius in Bibl. græc. Tom. II. pag. 172.

stimonia [46]). Nec est absurdum, poëtam, dum esset in vivis, suum scripsisse epitaphium; quod sæpius a summis atque celeberrimis viris factum esse videmus. Quo accedit præterea, et magni mihi esse videtur momenti, quod Geloï mentionem procul dubio facturi fuissent summi ingenii Æschyli, præcipuarumque laudum, quas sibi ex arte poëseos pepererat. Quid? quod longe præcipuas illos suspicor ingenio eius tributuros fuisse laudes, utpote qui nullum unquam, ne minimum quidem, ex virtute eius bellica percepissent fructum. Alia vero et longe diversa ratio ipsius Æschyli fuit. Certo enim de gloria suorum carminum sempiterna per-

46) Pausanias in Atticis pag. 35. (edit. Kuhnii): *καὶ δὲ καὶ Αἰσχύλος, ὥς οἱ τῇ βίᾳ προσεδοκᾶτο ἡ τελευτὴ, τῶν μὲν ἄλλων ἐμνημονεύτεν ἐδενὸς, δόξης ἐς τοσῆτον ἥκων ἐπὶ πόιησιν, καὶ πρὸ Ἀρτεμισίᾳ καὶ ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσας· ὁ δὲ τό τε ὄνομα προτεθὲν καὶ τὴν πόλιν ἔγραψε, καὶ ὡς τῆς ἀνδρείας μάρτυρας ἔχοι τὸ Μαραθώνιον ἄλσος, καὶ Μήδων τὸς εἰς αὐτὸ μεταβάντας.* Athenæus loco nuper laudato (not. 44.): . . . . *Αἰσχύλος τηλικαύτην δόξαν ἔχων διὰ τὴν ποιητικὴν, ἐδὲν ἧττον ἐπὶ τῇ τάφῳ ἐπιγραφῆναι ἠξίωτε μᾶλλον τὴν ἀνδρείαν, ποιήσας· Ἀλκὴν δ' εὐδόκιμον* etc. vid. sup.

suasus [47]), virtutem suam maluit civilem, quam ingenium æternæ commendare memoriæ. Nec inconsulto ac temere: illius enim virtutis, quamvis pulcerrimæ, laudem videmus sæpe simul cum homine, sine posteris tradita memoria, interire.

Bacchus in somnio admodum adolescentulum nostrum dicitur monuisse, ut tragicæ arti daret operam; cuius mandato illum se promtum præbuisse legimus apud Pausaniam [48]). Hæc vero de Baccho fa-

47) Athenæus libr. VIII. cap. VIII. pag. 347: ἔφη (ὁ Αἰσχύλ.) χρόνῳ τὰς τραγῳδίας ἀνατιθ-ναι, εἰδὼς ὅτι κωμῳῖται τὴν προσήκουσαν τιμήν. Quod tam acerbe dictum in populares suos poëtam verisimile est, offensum iniquis brabeutarum suffragiis, protulisse. Conf. Plutarchum de audiendis poetis vol. VI. pag. 59. edit. Reiskii. Non vero nimia et vana sui admiratione captum illum alios contemsisse doc. t, quod apud Athenæum ib. legimus: sua Æschylum solitum fuisse dramata appellare: frusta magnificarum epularum Homeri (τεμάχη τῶν Ὁμήρε μεγάλων δείπνων).

48) Pausanias in Atticis cap. 21. pag. 49.: Ἔφη δὲ Αἰσχύλος μειράκιον ὄν καθέυδειν ἐν ἀγρῷ φυλάσσων ςαφυλὰς, καὶ οἱ Διόνυσον ἐπιςάντα, κελεῦσαι τραγῳδίαν ποιεῖν. ὡς δὲ ἡμέρα (πείθεσθαι γὰρ ἤθελεν), ῥᾷςα ἤδε πειρώμενος ποιεῖν. Conf. Biographum Æschyli: νεὸς δὲ ἤρξατο τῶν τραγῳδιῶν

bula insignem ac præclaram ingenii vim, qua impulsus Æschylus artem mature admodum auspicatus sit, simpliciter significare videtur. Ad tales enim fingendas fabulas antiquissimo præsertim tempore proclives erant et promti homines. Nec maiori est fide dignum, quod passim apud veteres legimus, Æschylum vino incalescentem solitum fuisse suas scribere fabulas [49]). De quo rumore, ex antiquitate ad nos perlato, idem equidem, quod de illa fabula censeo. Eundemque in sensum abeunt quoque verba apud Plutarchum Gorgiæ, qui Baccho, tutelari tragicorum numini, omnes cæteras assignat Æschyli fabulas, unam vero excipit: adv. Thebas, quam non Bacchi, sed Martis esse judicat. Primus apud Athenæum Æschylus ebrios in scenam induxisse (ἐν Κάβειροις), vitiumque, quo laboraret ipse, suis quoque tribuisse heroïbus dicitur. Quam suam sententiam aliquo testimonio confirmandi causa attulit Athenæus notissima illa verba Sophoclis:

49) Plutarchus libr. I, Sympos. quæst. 1.; et libr. VII. qu. IV. Athenæus libr. X. cap. VII. pag. 428—429., libr. I. pag. 22, et libr. IX. cap. IV. Conf. Lucianum in encomio Demosthenis cap. XV. Tom. III. pag. 502. Edit. Reiskii.

"Æschyle! si vel, quæ decent, facias, inscius tamen facis". Quorum verborum sensum non bene assecutus est Athenæus; si enim intellexisset, procul dubio tacuisset. Ex quibus omnibus scriptorum veterum testimoniis præterquam, quod Æschylus summa ingenii vi ac fervore concitatus artem juvenis admodum auspicatus sit, nihil efficitur. Hoc autem quando factum sit, plane nescimus: id unum vero licet conjicere, diu ante, quam reportaret victoriam, dramata docuisse Æschylum. Marmor enim Arundelianum (Epoch. LI.) docet, eum, cum esset fere quadragenarius, primum vicisse Ol. LXXIII, 3.; quo anno natus Euripides est [50]), Græciamque venit Stesichorus.

Quid autem causæ fuerit, cur tam sero vicerit Æschylus, est quæstio valde difficilis, obscura atque implicita; quam si contigerit ad aliquam qualemcunque perducere veri similitudinem, in ea acquiescamus. Ubi enim in profundo quasi demersa latet veritas, pro-

50) Haud sum equidem nescius de natali anno Euripidis doctissimos dissentire viros. Nonnulla vero in parergis, ut dicunt, ponere necesse est, quorum accuratam disquisitionem nostra *non capit* commentatio.

babilitate contenti, nil ultra desiderare debemus atque requirere. — Aristophanes ipse de se ita loquitur in Nubibus vers. 530. seqq.

Κἀγὼ (παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν, κἠκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν)
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρά τις λαβοῦς' ἀνείλετο,
ὑμεῖς δ' ἐξεθρέψατε κτλ.

Quem ad locum Scholiasta: νόμος ἦν, inquit, μὴ εἰσέλθεῖν τινα εἰπεῖν, μήπω τεσσεράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες τριάκοντα. Ex quibus tam ipsius poetæ, quam Scholiastæ verbis ultro se, ac nullo negotio offert suspicio, ante certam, et lege publica constitutam, vitæ ætatem, nemini proprio licuisse nomine suas edere atque docere fabulas. Qua tamen in conjectura, quo minus acquiescamus, pluribus impedimur. Primum vocabulo εἰπεῖν magis histrionibus, quam ipsis poetis accommodato: deinde Sophoclis exemplo, quem octo et viginti natum annos victoriam reportasse, in superioribus jam ostendimus: denique verbis offendimur nuper allatis Scholiastæ, inter quadragesimum tricesimumque fluctuantis annum. Ex quibus apparet nullam certam accuratamque habuisse eum huius legis, de qua loquitur, cognitionem. At forsan dixerit quispiam, lege quandam constitutam fuisse ætatem vitæ, intra quam scenam ingredi, veterumque more simul cum cæteris

histrionibus partes in fabulis agere, poetis ipsis haud fuerit licitum. Nescire autem me prorsus fateor, cur poetis id magis, quam toti histrionum ordini veteres prohibuissent. Haud enim a me possum impetrare, ut assentiar Samueli Petito, legem illam, apud Scholiastam commemoratam, de universo histrionum ordine interpretante. Aut enim in eiusmodi rebus nihil omnino judicare atque conjicere licet, aut esse perquam verisimile quisque fateatur necesse est, ad foeminarum et adolescentum personas in fabulis publice sustinendas graciles, teneros, suavique voce præditos adolescentulos veteres elegisse. Nec multum abest, quin credam, Scholiastam vel illam finxisse legem, vel ab aliis fictam bona recepisse fide, modo, ut aliquid eius in commentario afferretur ad istum Aristophanis locum, paulo obscuriorem, interpretandum. Et tamen, re bene perpensa, mihi esse confitendum videtur, Comico, præsertim juveni, satis multas ac graves esse potuisse causas, suum publice reticendi nomen. Verum hæc mittamus, non huius enim est loci, Aristophanem, eiusque Scholiastam interpretari; satisque *sit effecisse* nos, nihil in his locis ad nostram

rem planius meliusque intelligendam inesse adjumenti atque præsidii. — Quod cum ita sit, rem, nobis propositam, expediendi nunc aliam ineamus rationem. Æschylo, multa novanti, artisque formam et indolem penitus commutanti, diu procul dubio acerrimum multorum hominum studium, mores, ac consuetudines inveteratas, hereditateque quasi acceptas, servandi atque tuendi obstitit; præterea summa Phrynichi, poetæ præstantissimi, sed moris prisci tenacioris, auctoritas. Cuius poetæ admodum studiosi senes inique de Æschylo veterum deserente vestigia, existimabant. Qua cognita re, apparebit quoque talem rerum conditionem momenti aliquid procul dubio attulisse ad augendam iram, offensionemque Æschyli, cum ipse senex postea a juvene Sophocle vinceretur. Tantam vero fuisse auctoritatem Phrynichi atque honorem, e locis Aristophanis quibusdam, quorum potissima afferam, facillime potest perspici. Ille enim Comicorum princeps in Avibus vers. 732. seqq. (Ed. Brunck.) ita:

Μῶσα λοχμάία

. . . . . .

ποικίλη, μεθ' ἧς ἐγὼ

νάπαισί τε κορυφαῖσιν τ' ἐν ὀρείαις,
. . . . . .
ἔνθεν ὥςπερ ἡ μέλιττα
Φρύνιχος ἀμβροσίων
μελέων ἀπεβόςκετο καρπὸν, ἀεὶ
φέρων γλυκεῖαν ᾠδήν.

In Ranis vers. 941.:

μωρὸς (sc. θεατὰς) λαβὼν παρᾶ Φρυνίχῳ τραφέντας.

Qui locus facit inprimis ad antiquam quandam eius ostendendam simplicitatem.

Ibid. vers. 1334.:

. . . . ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ
λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων.

Quem ad locum Scholiasta monet, Phrynichum in cantibus suavem fuisse.

In Vespis vers. 219.:

. . . . ὀψὲ γοῦν ἀνεςήκασι νῦν.
ὡς ἀπὸ μέσων νυκτῶν παρακαλοῦσίν γ' ἀεὶ,
λύχνους ἔχοντες; καὶ μυρίζοντες μέλη
ἀρχαιομελησιδωνοφρυνιχήρατα,
οἷς ἀνακαλοῦνται τοῦτον.

Ibid. vers. 269.:

ἀλλὰ πρῶτος ἡμῶν
ἡγεῖτ' ἂν ᾄδων Φρυνίχου.

Ex quibus locis, passim a Brunckio emendatis, elucet, amplissimo honore Phrynichum, antiqui moris fuisse, ut diximus, tenaciorem. Quas ob causas illum suspicor Æschylo *offecisse*, et illi diu fuisse impedimento, quo

minus in tantum, quem postea consecutus est, honorem mature adscenderet. Ne vero nullam Æschyli, ingenio tam præclaro ornati poetæ, ad id usque tempus habitam rationem esse mireris, velim animadvertas: in Marm. Arund. referri quidem vicisse tragoedia Æschylum Ol. LXXIII, 3; cuiusnam vero illa fuerit ordinis victoria, an primi, an secundi, an tertii, ne verbo quidem in Marmore significatur. Ignoscendum itaque mihi est, (ab omni enim prorsus abhorret veri similitudine, tam diu nullo omnino numero, nullo loco tantum fuisse virum): ignoscendum, inquam est mihi, audacius forsan conjicienti: ante id tempus jam sæpius Æschylum tertium, aut secundum inter victores tragicos tenuisse locum: auctorem vero Marmoris Arund., silentio transmissis cæteris, eum commemorasse annum, in quo inter victores princeps palmam Æschylus tulerit.

Quot fabulas composuerit Æschylus, nondum inter doctos constat, nec, credo, constabit: testes enim antiqui, ut plerumque, dissentiunt. Suidas (voc. Αἰσχύλος) fabularum eum nonaginta esse auctorem perhibet. Num vero tam tragoedias, quam elegias (de utrisque enim Suidas) hoc numero compre-

hendat, e verbis eius non pellucet [51]). Biographus vero noster tragoedias scriptas esse ab Æschylo septuaginta, nec non dramata fere quinque satyrica refert [52]). In quibus conciliandis locis non credo esse elaborandum, dum nondum de illius prioris loci constet interpretatione. Recentiores diligentissime titulos fabularum Æschyli undique congesserunt. Verum et ii quoque dissentiunt: ab aliis enim plura, ab aliis pauciora fabularum deperditarum nomina sunt collecta. Nec est, quod mireris. Hæc enim habet quæstio difficillimos explicatus, præsertim ob plura earundem fabularum nomina, quibus nonnunquam mihi videtur esse effectum, ut una eademque pro pluribus haberetur fa-

51) Suidam nonaginta *fabularum* eum auctorem perhibuisse dixi, hæc enim mihi interpretatio ad veritatis, similitudinem visa propensior est. Suidæ verba hæc sunt: ἔγραψε δὲ ἐλεγεῖα καὶ τραγῳδίας ἐννενήκοντα.

52) Biographus ἐποίησε δράματα ἑβδομήκοντα, καὶ ἐπὶ τούτοις σατυρικὰ ἀμφὶ τὰ πέντε. Auctor vitæ græcæ, Robortelli editioni præfixa, septuaginta Æschylo fabulas tribuit, nulla facta mentione dramatum satyricorum. Conf. Stanleium ad Æschylum pag. 709.

bula. Nihil igitur, mea sententia, licet decernere, nisi permulta Æschylum composuisse dramata.

Quoties vero Æschylus tragicorum in certaminibus vicerit, æque est in ambiguo. Sæpe autem vicisse eum, nos cum veterum testimonia, tum præclarum et prope singulare eius ingenium jubent assumere. Suidas sine omni veri judicio octies et vicies s. tredecies palmam tulisse certaminis refert. Quem posteriorem numerum victoriarum offert quoque Biographus, ita ut jure quodam posse videamur statuere, victorias plus minus tredecim Æschylum retulisse. Quæ utriusque auctoris consensio, idoneisne sit rationibus superstructa, an temere se inconsultoque obtulerit, haud licet dijudicare.

Proximum est, ut quicquid studii, operæ, atque ingenii Æschylus in amplificanda arte collocaverit, videamus. Ludicram antiquissimo tempore, et scurrilem artem tragicorum Thespis ab isto protervo lusu, effrenata cavillandi licentia, et ludibriis illiberalibus ad gravitatem, resque digniores converterat. Tantum vero ille fuit a perfectione remotus, (ad maturitatem enim lente pro-

grediuntur artes.[53]), ut Æschylus auctoris ac conditoris tragoediæ magno splendidoque fere dignus nomine existimandus sit. Cuius de arte tragica maxime fuisse merita, præter alia multa, probat evincitque epigramma Dioscoridis quoddam, primum a Stanleio editum, postea vero a Bentleio in tertio versu ingeniose admodum emendatum (l. c. pag. 277.). In primis duobus versibus, rudimenta artis a Thespide posita auctor describit, a tertio vero de Æschylo ita pergit:

Αἰσχύλος ἐξύψωσε (sc. artis illa primordia), νεο
σμιλευτα χαράξας.
γράμματα, χειμαῤῥῳ δ' οἷα καταρδόμενα.
Καὶ τὰ κατὰ σκηνὴν μετεκάινισεν· ᾧ ϛόμα πάντων
δέξιον, ἀρχαίων ἡσθά τις ἡμιθέων.

Quibuscum versibus dignissimi, qui comparentur, sunt versus Horatiani in A. P. 275. seqq.

"Ignotum tragicæ genus invenisse Camoenæ
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno."

53) Aristotelis A. Poet. cap. IV. 15.: πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα ἡ τραγῳδία. et ibid. §. 17.: διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν, ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη.

Quibus locis re nostra in universum indicata, de singulis separatim nunc studiosius disseramus.

Solis choreutarum cantibus, commentisque eorum plerumque extemporalibus, ad Thespidis ævum usque res prope omnis absolvebatur tragica [54]). Ista vero tenuissima primordia artis et autoscediasmata amplo ac honorifico dramatis haud digna censenda sunt nomine. Quod nomen nulli tribuendum est carmini, nisi in quo aut plures, aut duæ saltem personæ justo inter se sermone colloquantur. Alia vero, quæcunque ab uno pluribusve simul personis continuo decantantur carmina, aut in quibus sermoni mixta narratio est, ad quodvis aliud poëseos genus, quam ad dramaticum potius referantur. Quo accedit denique certo nos scire [55]), ne histriones quidem, sine quibus haud possunt agi dramata, antiquissimo illo tempore exstitisse. Dramata vero jam tum temporis assumere

54) Diogenes Laërtius libr. III. cap. 56: ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ τροτερὸν μὲν μόνος ὁ χορος διεδραματίσεν.

55) Athenæus libr. XIV, cap. VII. pag. 630: ἀλλ' ὑποκριτὰς εἶχον.

alio consilio, quam ut publice exhiberentur, esse a poëtis composita, insulsum mihi prorsus, atque absurdum videtur. Prodiit tandem Thespis, qui invento veri nominis actore, sermonem eo ipso scenicum, non illum quidem perfectum, suisque omnibus absolutum numeris, sed aliquem tamen, jure dicitur invenisse. Hic vero, ac choro sejunctus, histrio partim solus, requiescente choro [56]) agebat, partim cum chorago, s. cum choreutis, scenam, ut moris apud veteres erat, nunquam deserentibus, colloquebatur. Id vero coeptum a Thespide Æschylus feliciter est persecutus: secundum enim adjunxit actorem, a tædiosisque monodiis arte sevocata [57]), justam effecit tandem græcæ tragoediæ formam. Est testis Aristoteles: Æschylum numerum histrionum ab uno protulisse ad duos, primarumque partium instituisse actorem [58]). Qua tamen in re haud accu-

56) Diog. Laërt. l. c. ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χόρον, Philostratus in vit. Apollonii libr. IV. cap. II: τὰς τῶν ὑποκριτῶν ἀντιλέξεις εὗρε.

57) Philostratus l. c. παραιτησάμενος (Αἰσχύλος) τὰ τῶν μονοδιῶν μῆκος.

58) Aristot. A. P. IV, 16.: καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν

rate sibi videtur semper philosophus constitisse. Apud Themistium enim [59]), qui testem Aristotelem citat, legimus: ab Æschylo tertium inventum esse actorem, quem alibi [60]) Aristoteles Sophoclem invenisse perhibet. Quam repugnantiam tollere ac profligare viri docti quidem conati sunt; verum nescio, an eorum ulla talis sit explicatio, in qua tuto liceat acquiescere. A vero tamen longissime abesse mihi videntur, qui Aristotelem apud Themistium opinentur trium actorum unum censuisse choragum. Quæ, me judice, facilior est, quam verior conjectura. In Choëphoris enim tres eadem in

πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τῶ χορῶ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιςὴν παρεσκέυασε. Conf. Diogenem Laërtium l. c. δευτέρον (ὑποκριτὴν) Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν.

59) Themistii Orat. XXVI. (edit. Harduin. p. 316.): Αἰσχύλος δὲ (ἐξεῦρεν) τρίτον ὑποκριτήν. Conf. Æschyli vit. Rob. edit. præf. τὸν τρίτον ὑποκριτὴν αὐτὸς ἐξεῦρε.

60) Aristot. l. c. τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς. Conf. Pollucem IV, 15. Diversi ordinis ab hoc inde tempore constituebantur actores: πρωταγωνιςὴς, δευτεραγωνιςὴς, τριταγωνιςὴς.

scena (vers. 239. seqq. Edit. Schutzii 1789—94) inter se personæ vere colloquuntur: Clytemnestra, Orestes, Pylades. Quin quartum etiam actorem (cuius partes παραχορήγημα veteres appellabant) ab Æschylo adhibitum esse in Agamemnone, exstat apud Pollucem (IV, 15.); quem bene observavit Thyrwittus cum Choëphoris Agamemnonem confudisse. Verum quatuor ne in Choëphoris quidem eadem in scena apparent, et inter se colloquuntur personæ. Nam famulus, qui necem Ægisthi indicaturus scenam ingreditur vers. 872, adveniente Oreste cum Pylade, rursus abit. Causa vero, ex mea quidem sententia, abeundi est, ut Clytemnestræ securim arcessat, vers. 886—87:

Δοίη τις ἀνδροκμῆτα πέλεκυν ὡς τάχος·
Εἰδῶμεν, εἰ νικῶμεν, ἢ νικώμεθα.

Nec est credibile Clytemnestram, si in scena mansisset famulus, eius haud fuisse auxilium imploraturam, cum ad cædem a filio eiusque comite abriperetur. Hinc patet itaque Scholiastam procul dubio erravisse, cum scriberet famulum in personam Pyladis esse mutatum, ne quatuor in hac scena personæ colloquerentur. Nec quidquam præterea est, quo quartum illum in iis saltem, quæ

exstant, fabulis Æschyli actorem exstitisse defendere possis, nisi chorum fortassis, s. choragum, Clytemnestra, Oreste, Pylade abeuntibus, loqui incipientem (vers. 928.), pro quarto habere velis. At vereor, ne, si id facias, de Thespide cogaris assumere, illum suo jam tempore justum explevisse numerum histrionum. Actorem enim a se inventum, adjungens choro, qui ante jam exstitit, suumque habuit choragum, tres aut duos saltem induxisse actores iis forsan videbitur, qui meris nugis, quam ipsa veritate delectentur magis. Verum his nihil perversius. — Quod cum ita sit, videamus, num de tertio illo, quem laudari apud Themistium vidimus, certius quid liceat judicare. Nastius [61]) usum trium actorum in Æschyli tragoediis ad filiorum eius, Euphorionis atque Bionis, commenta refert. Quæ tamen conjectura mihi non placet: haud enim mihi persuadere possum, ut credam, audaciam eo usque progressam filiorum esse, ut patris defuncti dramata novis personis augerent. Potius autem ipsos in eo suspicor substitisse,

[61]) Nastii observationes in rem tragicam Græcorum. Stutgardiæ 1788. 4.

ut versus passim aliquot resecando, aut interpolando ad ingenium ævi sui magis perpolitum patris accomodarent fabulas. Ea igitur mihi incidit conjectura, Æschylum in prioribus suis fabulis duos tantum inter se colloquentes induxisse actores; postea vero Sophoclis, nisi fallor, exemplo edoctum, tertium adjunxisse [62]). Nec temporum me redarguit ratio. Constat profecto quidem, Sophoclem primam victoriam Ol. LXXVII $\frac{3}{4}$ reportasse; eodemque fere tempore Æschylum tragoediam, quæ inscribitur Choëphori, composuisse, mea sententia est. Verum id nullo modo obstare mihi videtur, quo minus Sophocles, jam ante Ol. XXVII $\frac{3}{4}$, istud suum potuerit inventum proferre in certaminibus tragicorum. Marmoris enim Arundeliani auctor tempus modo, quo primum vicerit Sophocles, non, quo artem auspicatus sit, indicavit. Meamque præterea conjecturam historia artium liberalium probat. Summos enim videmus artifices, quæcunque ab

[62]) Quam conjecturam video Dahlmannum quoque cepisse in libro doctissimo nec non ingeniosissimo: Primordia et successus veteris Comoediæ Atheniensium cum Tragoediæ historia comparati, pag. 29.

aliis vel recens inventa sint, vel mutata in melius, in suum sæpe usum convertere: nec idcirco in reprehensionem hominum peritorum incurrunt.

De actoribus sufficiant hæcce: nunc sequitur, ut de numero chori tragici eiusque partibus disseramus. Ut autem, quam bene de meliori descriptione chori Æschylus meruerit, intelligatur, primo monitum sit, choreutas, vel post inventum illum a Thespide actorem, in tragoediis principem tenuisse locum. Unde est factum, ut ad Æschylum usque tragoedia meris fere choreutarum cantibus conficeretur. Æschylus vero, in hac quoque re dignus sospitatoris nomine, partibus chori nimis amplis prudentissime circumscriptis, efficiebat, ut justus, et ad agendum colloquendumque aptus, personis fabularum campus aperiretur. Quod maximum sane atque eximium de tragoedia meritum Æschylo tribuendum esse, cum docent alia, tum Aristotelis verba (A. P. IV, 16): τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε. Quorum tamen verborum sensum Boeckhius [63]) haud accurate satis mihi percepisse videtur: ad *numerum* enim illa choreu-

[62]) Boeckhius l. c. pag. 43.

tarum trahit, non vero (cui equidem assentior interpretationi) ad *partes*, quæ choro illis temporibus vulgo assignabantur [64]; quasque Sophoclem, summum perfectorem artis tragicæ, arctioribus deinde constat circumscripsisse finibus. Difficilima vero illa de numero ac frequentia choreutarum quæstio est, nec ad certam cognitionem veri ullus fere patere nobis videtur aditus. Satis autem probabile est, quod narratur apud Pollucem: cautum esse lege, cum viveret Æschylus, ne ultra numerum quindecim choreutarum liceret cuiquam tragicorum progredi. Verba Pollucis (IV, 15.) hæc sunt: *τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἦσαν ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου. πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντων συνέςειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν.* Qui locus magni sane est faciendus: cavendum tamen, ne nimium ei tribuas. Haud enim licet assumere, ad id usque tempus (Ol. LXXVII) chorum semper quinquaginta, nunquam paucioribus constitisse hominibus. Qua in re in errorem, nescio quomodo, inductus mihi videtur Pollux.

64) Conf. Philostratum in vit. Apollon libr. IV. cap. II. pag. 244: ξυνέςειλε (Æschylus) *τὸς χορὸς ἀποτάδην ὄντας.*

Nihil quidem habet, quod dubitari possit, magno atque immenso choreutarum numero splendorem fabulis suis gravitatemque sæpe studuisse poëtas conciliare. Quod ab Æschylo factum esse in priori editione Eumenidum, cum alia demonstrant, tum verba Biographi: ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορόν. Verum in eo erravit procul dubio Pollux, quod tantam frequentiam chori prædicaverit fuisse omnibus communem, et constanti receptam usu. Cuius a sententia tantum equidem absum, ut potius credam, ante hanc latam legem, ex poëtarum unice arbitratu pependisse, quam multos in quavis tragoedia choreutas vellent inducere. Nec idcirco temere conjicere mihi videor, eos, dum nulli essent adstricti regulæ, modo plures, modo pauciores, pro vario argumentorum ratione, suoque cuiusvis arbitrio, adhibuisse. Hac vero licentia verisimile est paulo liberius usos poëtas, molestos interdum ob tantum choreutarum frequentiam spectatoribus esse visos. Tandemque evenit, ut Æschylus, cum priori vice exhiberentur Eumenides, magnam inducens, visuque horribilem Furiarum catervam, tantum injiceret spectatorum animis terrorem, ut infantuli deliquium,

gravidæ abortum paterentur". Quo facto, graviter offensi Athenienses interdixere, ne in posterum tragici numerum excederent quindecim choreutarum. — Scholiasta Aristophaneus [65]) (ad Equites vers. 686.) exemplo Æschyli, ducto ex Agamemnone, probat, quindecim personis chorum tragicum constitisse. Quod testimonium Scholiastæ in meum utique usum converterem, ut choros ante istam sancitam legem non semper quinquaginta personis constitisse ostenderem: nisi pro virili parte ad Choëphoros infra constituissem evincere ac comprobare, Agamemnonem haud editum esse cum Choëphoris, Eumenidibusque, prima vice doctis, Ol. circit. LXXVII; verum pluribus post annis, Ol. denique LXXX, simul cum iis publice esse Athenis doctam. Quin etiam suspicor, earum, quas habemus, tragoediarum, hanc primam, post legem illam promulgatam, Æschylum composuisse. Unde apparet, haud sine probabili ratione Agamemnonis exemplo Scholiastam usum esse.— Haud minimum vero fuisse, ad quem de-

[65]) Schol. συνεχήκει . . . . ὁ τραγικὸς (χορὸς) ιε', ὡς Αἰσχύλος ἐν Ἀγαμέμνονι.

scenderent scriptores tragoediarum, numerum quindecim choreutarum, ex iis, quæ narrantur de Sophocle in græca eius Biographiæ, conjicere quodammodo licet. Dicitur enim: illum ita chorum tragicum amplificasse, ut præ duodecim quindecim choreutas induceret [66]). Nullo vero cum sit temporis, quando id factum sit, significatio, in ipsa re vexatissima explicanda multum haud juvat studii atque laboris consumere. Tantis enim obstricta est difficultatibus, ut neque cum cæteris, quæ disputavimus, conciliari, nec ulla luce antiquitatis illustrari posse videatur. Sufficiat igitur hoc loco monere, in occulto prorsus esse, utrumne, post latam de numero choreutarum legem, poëtæ tragici, duodecim personis contenti, aut nunquam, aut raro plures induxerint: an potius id tantum Biographus voluerit indicare, Sophoclem, cum essent illo tempore, qui duodecim uterentur, constanter quindecim choreutas induxisse. Nisi velis forsan assumere, Sophoclem, initio duodecim, postea vero quindecim per-

66) Biogr. Sophoclis: *αὐτος δὲ καὶ τὸς χορευτὰς ποιήσας ἀντὶ δώδεκα πεντεκαίδεκα.* Conf. Suidam voce Σοφοκλῆς.

sonarum numerum aptum præcipue censuisse ad justam chori tragici amplitudinem constituendam. Verum eo revertatur nostra disputatio, unde huc declinavit.

Circumscripsit igitur Æschylus partes chori ante id tempus nimis amplas: frequentiaque choreutarum, eodem fere tempore, lege, ut videtur, publica imminuebatur. Ab altera vero parte novo magisque artificioso, et composito ad gravitatem genere saltandi noster auxit tragoediam. Cuius rei disertus est Athenæus testis: refert enim, inter poëtas primum fuisse Æschylum, qui saltationes, quas nuper invenisset ipse, choreutas sine ope aliorum atque auxilio edoceret [67]). Fuitque illo inde tempore mos ac consuetudo Græcorum, ut histrionibus non modo quid, sed etiam quomodo dicerent agerentque, poëtæ præscriberent, suisque ipsi in fa-

[67]) Athenæus libr. I. cap. XVIII. pag. 21: πολλὰ σχήματα ὀρχηστικὰ αὐτὸς ἐξευρίσκων ἀνεδίδε τοῖς χορευταῖς. Χαμαιλέων γὲν τρῶτον αὐτόν φησι σχηματίσαι τὸς χορὸς, ὀρχηστοδιδασκάλοις ὑ χρησάμενον. Ἀλλὰ καὶ αὐτὸς τοῖς χοροῖς τὰ σχήματα ποιῶντα τῶν ὀρχήσεων καὶ ὅλως πᾶσαν τὴν τῆς τραγῳδίας οἰκονομίαν εἰς ἑαυτὸν περιῖςᾶν. ὑπεκρίνετο γὲν μετὰ εἰκότος τὰ δράματα.

bulis plerumque partes, nunc has, nunc alias sustinerent. Saltationis autem scenicæ plura atque diversa inventa sunt genera. Habuit enim tragica, comica, satyricaque poësis suum quævis modum saltandi [68]); quorum tragicum vulgo ἐμμέλειαν Græci appellabant [69]). Eodemque tempore quidam vixit saltator, nomine Telestis, adeo in sua arte perfectus, ut solo gestu, quodcunque vellet, conficiens, sine voce adhibita ab omnibus intelligeretur.

Ad cultum scenæ exornationemque multa ac varia excogitata esse ab Æschylo, et in usum recepta, ex locis non paucis veterum, Athenæi, Philostrati utriusque, aliorumque, facillime potest perspici [70]). Ad quam laudem abrogandam Æschylo me non impellunt Aristoteles atque Themistius. Quarum Aristoteles picturam scenæ (σκηνογραφίαν)

[68]) Athenæus libr. XIV. cap. VII. pag. 630: τρεῖς δ' εἰσὶ τῆς σκηνικῆς ποιήσεως ὀρχήσεις, τραγικὴ, κωμικὴ, σατυρικὴ, quæ Sicinnis appellabatur.

[69]) Athenæus libr. I. cap. XVII. pag, 20. Scriptotores veteres, quorum in libris agitur de Æschylo, recensentur apud Fabricium in Bibl. Græc. Ed. Harl. Tom. II. pag. 166. not. r.

[70]) *Vide* infra not. 74—75.

Sophocli assignat [71]). Themistius vero Æschylum invenisse pulpitum quidem tradit, verum pleraque, quæ scenicum apparatum attinent, a Sophocle atque Euripide esse inventa refert [72]). Potius vero ego summis clarissimisque tragicis de splendidiori scenæ atque actorum cultu sua cuivis merita constitisse crediderim. Verum ita tamen, ut Euripides, quem Themistium dicis causa nominare censeo, pauca tantum, quæque ipsius maxime inservirent commodis, immutasse maiorum de institutis mihi videatur. Sophocles vero, quæ ingeniose Æschylus auspicatus erat, felicissime ita perfecit, ut amplius fere nihil in arte Tragicorum desiderandum restaret. Quam bene quoque admittunt interpretationem Aristotelis verba, quibus nihil videtur eximius ille atque præclarus philosophus voluisse, nisi Sophoclem, (ab Agatharcho forsan adjutum), scenæ picturam, ab Æschylo quasi fundatam, postea absolvisse.

Æschylus, quod magnum esset, atque sublime, semper affectans, histriones, ha-

71) Aristoteles in A. P. IV, 16. Σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς (παρεσκεύασε).

72) *Themist.* l. c. . . . , . τὰ δὲ πλέιω τούτων Σοφοκλέους ἀπελάυσαμεν καὶ Εὐριπίδε.

bitu indutos ad splendorem gravitatemque composito in altiori suggestu agere jussit [73]), ramis nunc plaustrisque prorsus repudiatis. Callide prospexit, ut, novo invento calceamenti genere, actores in scena altiores, ad speciemque heroum propius accedentes viderentur. Eosdem ad id usque tempus ora peruncta fæcibus habentes, larvis s. personis (προςωπεῖοις) docuit uti [74]). Præterea dicitur

73) Athenæus libr. I. l. c. Αἰσχύλος δὲ οὐ μόνον ἐξεῦρε τὴν τῆς ϛολῆς εὐπρέπειαν καὶ σεμνότητα, ἣν ζηλώσαντες οἱ ἱεροφάνται, καὶ δαδοῦχοι ἀμφιέννυνται, ἀλλὰ καὶ πολλὰ σχήματα etc. Philost. in libr. I. Sophist. de Gorgia 492.: εἰ γὰρ τὸν Αἰσχ. ἐνθυμηθείημεν, ὥς πολλὰ τῇ τραγῳδίᾳ ξυνεβάλετο, ἐσθῆτι τε αὐτὴν κατασκευάσας, καὶ ὀκρίβαντι (pulpito) ὑψηλῷ, καὶ ἡρώων εἴδεσιν, ἀγγέλοις τε καὶ ἐξαγγέλοις (vid. schol. ad Euripid. Hippol. vers. 775. Edit. Valkenær) καὶ οἷς ἐπὶ σκηνῆς καὶ ὑπὸ σκηνῆς χρὴ πράττειν. Alter Philostr. in vit. Apollonii libr. VI. l. c. τὴν τέχνην δὲ ὁ ὢν ἀκατάσκευόν τε καὶ μήπω κεκοσμημένην, ἣ μὲν ξυνέϛειλε τὸς χορὸς, ὀκρίβαντος δὲ τοὺς ὑποκριτὰς ἀνεβίβασεν, ὡς ἴσα ἥρωσι βαίνοιεν, ἐσθήμασί τε πρῶτος ἐκόσμησε, ἃ πρόσφορον ἥρωσι. Pulpiti præterea mentionem Themist. l. c. facit.

74) De cothurno et larvis conf. Suidam voc. Αἰσχ. οὗτος πρῶτος εὗρε προσωπεῖα δεινὰ, καὶ χρώμασι κα-

scenam instruxisse et ornavisse picturis (γραφαῖς), machinis (μηχαναῖς), aris (βωμοῖς), sepulcris (τάφοις), tubis (σάλπιγξι), spectris (εἰδώλοις) et Erinnyis (ἐριννύσι) [75]. Ex quibus omnibus nunc primum inventis licet nosse, quam tenuis fuerit, et fere nullus ante Æschylum scenicus apparatus. In Choëphoris sepulcra, in Persis umbra Darii, in Eumenidibus Erinnyes, in Supplicibus, nisi fallor, aras conspiciendas exhibuit. Cætera, quæ recensui, tubis exceptis, communia plerisque fuisse fabulis perquam verisimile est, Quam prudenter autem summum ingenii sui fervorem Æschylus temperaverit, exinde apparet, quod cædem post scenam (ὑπὸ σκηνῆς) peragendam instituit, ne palam coram oculis spectatorum personæ in tragoediis occidi viderentur [76]. Qua de re postea plura.

χρισμένα ἔχειν τοὺς τραγικοὺς, καὶ ταῖς ἀρβύλαις τοῖς καλουμένοις ἐμβάταις κεχρῆσθαι Conf. vers. Horatianos supra allatos. Ipsum Aristophanem in Equitibus vultum fæcibus perunxisse constat.

75) Vit. Æschyli Edit. Robort. præfixa.

76) Philostratus in vit. Apollon. libr. VI. cap. II. .... τὸ ὑπὸ σκηνῆς ἀποθνήσκειν ἐπενόησεν, ὡς μὴ ἐν φανερῷ σφάττοιεν. Conf. alterum Philostr. not. 74.

Sermone humili atque ludicro (γελοίᾳ ξει) antiquissimi vulgo auctores tragoediarum sine arte usi erant: Æschylus autem bere, magniloquo, ac generoso dicendi gere amplificavit ornavitque tragoediam. audemque magniloquentiæ tota ipsi uno re antiquitas tribuit, præ cæterisque hic ominatim appellatur μεγαλοφωνότατος [77]. undemque summum præstantissimumque oëtam verbis gravissimis, sonoris, turgidisue, strepitum quasi atque fragorem edenibus, fabularum suarum vim ac pondus mifice auxisse, veterum scriptorum docent rope innumerabilia testimonia [78]. Quæ

[77]) Photii Biblioth. Codd. CLVIII. pag. 328. Edit. Schotti, 1653.

[78]) Athenæus libr. VIII. cap. VIII. pag. 347.: κάλλος καὶ λαμπρός. Suidas voc. ἐριβρεμέτας de Æschylo: μεγάλας κτύπας ἀποτελῶν. Conf. Suid. in voce ψόφοι πλῆρες et λῆμα θέριον et Plutarch. de gloria Atheniens. Ed. Reisk. VII, 373. vid. præterea Aristophanem et Scholiast. Aristoph. cum alibi, tum præsertim in Ranis v. c. vers. 876. ἔβλεψε — ταυρηδὸν ἐγκύψας κάτω. 826.: ἐριβρεμέτας, ad quem locum Schol. πρὸς τὸ βροντωδὲς τῶν ῥημάτων καὶ κομπωδές. 833. seqq.: ὑψηλόφρων λόγων κορυθαίολα νείκη . . . .

equidem haud arbitror opus esse congerere et cumulare omnia: præsertim cum testes eius rei locu pletissimos habeamus septem ipsius Æschyli, quæ superstites sunt, fabulas. De quibus posthac copiosius disputaturis nobis hic licet esse brevioribus. A re tamen nostra haud fore credidi alienum, ea subjungere, quæ Biographus Æschyli offert valde apta atque utilia ad indolem ingenii et artis eius illustrandam percipiendamque. Ipse vero græce loquatur auctor, ne latinis verbis ad sensum exprimendum minus nonnunquam

ῥήμαθ' ἱππoβάμονα . . . . δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων, βρυχώμενος ἥσει ῥήματα γομφοπαγῆ. 861. seqq. in his, quibus Euripides in Æschylum invehitur, plura insunt utilia ad ingenium Æschyli cognoscendum 932. sqq, 1036—1037.: ἀλλ' ὁ πρῶτος τῶν Ἑλληνῶν πυργώσας ῥήματα σεμνὰ, καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον, ad quem loc. vid, Brunckium. 1091 seqq. μεγάλων γνωμῶν καὶ διανοιῶν ἴσα ῥήματα. 1285.: ἀνδρὶ τῷ πολὺ πλεῖστα δὴ καὶ κάλλιστα μέλη ποιήσαντι τῶν ἔτι νῦν ὄντων. 1290.: τεῖνον τὸν βακχεῖον ἄνακτα. 1548. seqq, et alibi. Conf. Harlesium in Fabricii Bibl. græc. T. II. p. 168—169., nec non Dion. Chrysostomum l. infr. cit.: ἥ τε γὰρ Αἰσχύλε μεγαλοφροσύνη, καὶ τὸ ἀρχαῖον, ἔτι δὲ καὶ τὸ αὐθαδὲς τῆς διανοίας καὶ φράσεως κτλ.

aptis cogamur uti. Hæc igitur verba sunt Biographi: κατὰ δὲ τὴν σύνθεσιν τῆς ποιήσεως ζηλοῖ τὸ ἄδρὸν ἀεὶ καὶ ὑπέρογκον, ὀνοματοποιΐαις τε καὶ ἐπιθέτοις ἔτι δὲ καὶ μεταφοραῖς καὶ πᾶσι τοῖς δυναμένοις ὄγκον τῇ φράσει περιθεῖναι, χρώμενος. αἵ τε διαθέσεις τῶν δραμάτων ἐ πολλὰς αὐτῷ περιπετείας καὶ πλοκὰς ἔχουσιν, ὡς παρὰ τοῖς νεωτέροις [79]). μόνον γὰρ σπουδάζει τὸ βάρος περιτιθέναι τοῖς προσώποις, ἀρχαῖον εἶναι κρίνων τουτὶ τὸ μέρος, μεγαλοπρεπές τε καὶ ἡρωϊκόν· τὸ δὲ πανοῦργον, κομψοπρεπές τε καὶ γνωμολογικὸν, ἀλλότριον τῆς τραγῳδίας ἡγούμενος. ὥστε διὰ τὸ πλεονάζειν τῷ βάρει τῶν προσώπων, κωμῳδεῖται παρὰ Ἀριςοφάνει. (Exempla afferuntur nimiæ gravitatis, silentio personarum expressæ [80]). διὸ ἐκλογαὶ μὲν παρ' αὐτῷ τῇ κατασκευῇ διαφέρεσαι πάμπολλαι ἂν εὑρεθεῖεν· γνῶμαι δὲ ἢ συμπάθειαι, ἢ ἄλλο τι τῶν δυναμένων εἰς δάκρυα ἀγαγεῖν, ἐ πάνυ. ταῖς τε γὰρ ὄψεσι καὶ τοῖς μύθοις πρὸς ἔκπλεξιν τερατώδη μᾶλλον ἢ πρὸς ἀπάτην κέχρηται [81]). Egregie his verbis præcipuas virtutes Æschyli Biographus adumdravit: ad aliorum autem

79) Conf. Dion. Chrysostomi Orat. LII. Ed. Reiskii Vol. II. pag. 266. seqq.

80) Conf. Aristophan. in Ran. 856. seqq. 947—948. et 1052.

81) Conf. eundem Biographum causas afferentem, cur in Elegia victus sit a Simonide Æschylus.

scriptorum acumen atque subtilitatem potius præclarum hocce judicium, quam ad ipsius Biographi sagacitatem referendum esse, jam ante monui. Exstat præterea testimonium Basilii Magni [82]) valde honorificum: et apud Longinum [83]) judicem sane severum, satisque multa reprehendentem, nobiles atque heroïcæ prædicantur Æschyli φαντασίαι. Facultatesque ac dotes ingenii tribus illis summis artis tragicæ luminibus veteres ita perlepide assignasse dicuntur, ut Æschylo σόμα, Sophocli λογιότητα, Euripidique σοφίαν tribuerent. Cuius rei testis est Photius; qui refert quoque, Æschylum τὸν μεγαλοφωνότατον, Sophoclem τὸν γλυκὺν, Euripidem τὸν πάνσοφον illis temporibus satis apte et proprie appellatos fuisse. Laudem denique sapientiæ consecutus est Æschylus: de quo Cicero [84]) ita:

[82]) Basilii Magni epist. 74. ad Martinianum Tom. III. pag. 169. Edit. Paris. 1730. fol. Σιμωνίδε ὄντως, ἤ τινος τοιάτε μελοποιεῖ δεδόμεθα, ἐναργῶς εἰδότος ἐπιγενάζειν τοῖς πάθεσι. καίτοι τί λέγω Σιμωνίδην; δέον Αἰσχύλου εἰπεῖν, ἤ εἰ δή τις ἕτερος παραπλησίως ἐκείνῳ συμφορᾶς μέγεθος ἐναργῶς διαθέμενος, μεγαλοφώνως ᾠδύρατο.

[83]) Longinus de Subl. sect. XV.

[84]) Quæstiones Tuscul. libr. II. cap. 10.

"Veniat Æschylus, non poëta solum, sed etiam Pythagoræus, sic enim accepimus". Nisi malis forsan assumere, Ciceronem cum alio Æschylo, Hippocratis Chii discipulo [85]), hunc nostrum paulo imprudentius confudisse. Similiter vero Athenæus [86]) quoque eadem ipsum laude ornat philosophiæ: φιλόσοφος ἦν τῶν παυὸ ὁ Αἰσχύλος.

Ille vero tam eximiis, tamque admirabilibus instructus ornatusque ingenii facultatibus, non semper tamen sibi cavit a vitiis. Quod ne forte nimis videatur esse mirabile, oportet meminisse, hominem et illum fuisse, neminemque vix unquam mortalium exstitisse ita perfectum, ut suis omnibus videretur partibus ac numeris absolutus. Verum ubi plurima nitent, paucis non debemus offendi maculis. Nec si concedimus Æschylum ardore violentiaque ingenii nonnunquam abreptum, nimis fieri turgidum, obscurum atque austerum: idcirco timendum est, ne injurii atque injusti in summum præstantissimumque poëtam esse videamur. Imitemur igitur ipsos veteres, qui Æschylum summa

85) Fabricii bibl. græc. Ed. Harles. Tom. II. p. 190.

86) Athenæus libr. VIII. cap. VIII. pag. 347.

et maxima prosequentes admiratione, de vitiis non tamen reticuerunt. Nec tali opus est indulgentia: magna enim ingenia, rebus quibusdam detractis, multa nihilo minus habitura sunt, quibus alere laudem, et gloriam nominis sui sempiternæ commendare memoriæ poterunt. Quinctilianus [87]) illum paulo severius, gravem atque grandiloquum, sæpe usque ad vitium, in plerisque rudem incompositumque fuisse tradit. Longinus (l. c.) non tam τραγικὰ, quam παρατράγωδα habere Æschylum ait: Aristophanemque in Ranis quædam subinde ipsi vitio videmus vertere, v. c. vers. 955. seqq. Hæc tamen, licet severiora, prorsus fere evanescent, si comparentur cum laudibus, quibus mirifice ornatum cumulatumque veteres Æschylum ad coelum usque extulerint. Athenienses amplissimo eum tragoediæ parentis nomine censuerunt dignum [88]). Pueri in conviviis, ramos myrthi gestantes, carmina eius decanta-

[87]) Quinctil. Instit. libr. X. cap. I.

[88]) Philost. in vit. Apollon. libr. VI. cap. II. p. 245 (Edit. Olearii): Ἀθηναῖοι πατέρα μὲν τῆς τραγῳδίας αὐτὸν ἡγοῦντο.

bant [89]: statuasque æneas ipsi, Sophocli, atque Euripidi Athenienses decrevere, ut auctor vitæ Lycurgi commemorat. Quem tamen honorem, non ipsi, dum esset in vivis, sed diu post mortem contigisse tradit Pausanias [90].

Ne autem virorum clarissimorum fabulæ, quæ erant Atheniensibus in amoribus deliciisque, cum ipsis auctoribus, populi oculis et auribus subtraherentur, data venia est aliis, initio vero, ut suspicor, plerumque cognatis, ipsorum dramata in Dionysiis exhibendi. Qui amplissimus honor utrumne simul omnibus, an primum Æschylo, deinde Sophocli atque Euripidi tributus fuerit, non ausim decernere. Sine dubitatione autem confirmaverim, non Æschyli tantum, sed Sophoclis etiam, atque Euripidis dramata Athenis post obitum ipsorum poëtarum publice certaminibus Tragicorum docta fu-

89) Suidas voc. μυῤῥινᾶν. Conf. Aristoph. Nubes 1367., quem ad locum de usu myrthi in Symposiis Scholiasta monet: μυῤῥίνης κλάδοις κατέχοντες ᾖδον τὰ Αἰσχύλου, ὥσπερ τὰ Ὁμήρου μετὰ δάφνης.

90) Pausanius in Atticis libr. I. cap. XXXI. p. 49. πολλῷ τε ὕστερον τῆς τελευτῆς.

isse. Quod ita vere factum esse docte et ingeniose Boeckhius [91]) demonstravit. Ne autem in re certa ac profligata longior nostra videatur esse disputatio, expromam nunc, quæ propius ad rem nostram pertineant. Quinctilianus (l. c.), "Tragoedias, inquit, primus in lucem Æschylus protulit, sublimis et grandiloquus sæpe usque ad vitium. Sed rudis in plerisque et incompositus, propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poëtis Athenienses permisere, suntque eo modo multi coronati". Quod Euphorioni filio eius obtigisse jam ante est monitum. In illo autem loco Quinctiliani erroris aliquid inesse suspicor: tradit enim, rudem in plerisque Æschylum incompositumque fuisse, et *idcirco* a poëtis posterioribus in certamen eius esse delatas fabulas. Quibus in rebus ita conjungendis temere inconsulteque, mea quidem sententia, Quinctilianus versatus est. Huius vero poëtis datæ veniæ causam me longe probabiliorem mihi videor attulisse, cum dicerem, id eo consilio instituisse Athenienses, ne cum Æschylo quodammodo interirent, aut ipsorum certe

91) *Boeckhius* l. c. pag. 327. seqq.

oculis auribusque subducerentur fabulæ eius. Quod utcunque sit, id, credo, tamen stabit, Æschylum operam sollertiamque expertum esse diasceuastarum. Quorum studio emendandi et corrigendi debemus haud dubie multis partibus mutatum Æschylum, dissimilemque sui. Qua de re acute exquisiteque Boeckhius l. c. pag. 13. et 27. Lex enim Lycurgi, de qua mox infra nobis dicendum erit, non potuit fabulas Tragicorum a temeritate diasceuastarum præstare tutas. Est enim, (ut Boeckhius, l. c. pag. 14. ostendit), lex illa post Ol. C. demum lata, cum opera Tragicorum multis ante annis defunctorum, poëtas, histrionesque posteriores diu jam occupatissimos tenuissent. Cum loco Quinctiliani comparandus Philostratus est (l. c. p. 245): *ἐκάλεν δὲ καὶ τεθνεῶτα εἰς Διονύσια· τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο, καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς.* Biographus noster: *Ἀθηναῖοι*, inquit, *δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον, ὡς ψηφίσασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ, τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου, χρυσὸν λαμβάνειν* [92]. Idem postea: *ἐκ ὀλίγας δὲ καὶ*

92) Nusquam alibi apud scriptores fit mentio præmii illis, qui dramata poëtarum defunctorum repeterent, constituti. Nec est probabile

μετὰ τὴν τελευτὴν νίκας ἀπηνέγκατο. His adde testimonium Scholiastæ Aristophanëi ad Acharnens. vers. 10.: τιμῆς δὲ μεγίστης ἔτυχε παρ' Αθηναίοις ὁ Αἰσχύλος, καὶ μόνῳ αὐτῷ τὰ δράματα ψηφίσματι κοινῷ μετὰ θάνατον ἐδιδάσκετο [93]): nec non eundem ad Ranas vers. 892.: ἐπεί τὰ Αἰσχύλου ἐψηφίσαντο διδάσκειν. Quibus locis hæcce res plane confecta atque ad liquidum perducta esse mihi videtur.

Illis vero crebris mutationibus cum fabulæ depravarentur, Lycurgus, rhetor, ut huic finem faceret perversitati, lege publica suasit, ut accuratissime descripta exemplaria trium Tragicorum, quasi in thesauris reposita, servarentnr. Quam legem auctor vit. X. oratorum memoriæ prodidit his verbis, quæ a Boeckhio quam vulgo rectius interpuncta, in Lycurgi vita occurrunt: εἰσήνεγκε δὲ

eiusmodi aliquid exstitisse; erant enim sine dubio multi gloriæ capessendæ ex aliorum operibus avidissimi. Recte igitur, ut mihi videtur Casaubonus, deleto χρυσὸν, χορὸν restituit. Quæ loquendi formula: χορὸν καταβάνειν, notissima est.

93) Soli Æschylo evenisse perhibet Scholiasta, quod cæteris quoque contigisse jam monui; nec esse dubium potest, quin in hac re erraverit.

inquit, καὶ τὸν νόμον, ὡς καλχᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν, Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδε, καὶ τὰς παραγωδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν, καὶ τὸν γραμματέα τῆς πόλεως παραγιγνώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι. De qua lege Boeckhius: "Lex valuit eo, inquit, ne, quod fieri solebat frequentissime, interpolarentur a poëtis parum scitis et ingeniosis, eareque scriba publicus debuit παραγιγνώσκειν [94]), h. e. (interprete Gesnero ad Quinct. l. c.) dum agerentur fabulæ argumenti cognati, vel alioquin plagii suspectæ, simul inspicere librum et legere". In hac tamen interpretatione, quamvis ingeniosa, haud prorsus, mea quidem sententia, est acquiescendum. Dicit enim Gesnerus, quem sequitur Boeckhius, debuisse scribam publicum, cum fabulæ argumenti cognati, vel alioquin plagii suspectæ agerentur, simul inspicere librum et legere. Quod fecerit sane: sed veri tamen similimum mihi videtur esse, istam scribæ publici curam ac diligentiam non solum istiusmodi fabulas, quæ apud Gesne-

94) De significatione huius voc. videsis Taylorum ad Demosthen. pro corona. Tom. I. Apparat. Reiskii. pag. 187.

rum commemorantur, verum præterea, ne dicam præcipue, pertinuisse ad illas ipsas Triumvirorum fabulas, quarum exemplaria religiose servanda, et ab hominum male ingeniosorum commentis depravationibusque tuta præstanda esse, nuper ostendimus. Qua propter huic scribæ id inprimis esse arbitror demandatum, ut, cum fabulæ Æschyli, Sophoclis, atque Euripidis docerentur, adesset, librum simul inspiceret legeretque (παραγιγνώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις). Nec equidem (dicam, quod sentio), multum absum, quin credam, id ei datum esse negotii, ut cum suis o: publicis libris conferret, diligentissimeque emendaret exemplaria scripta, quibus haud dubie tum temporis utebantur actores. Ita vero prospicere, ne istæ penitus depravarentur fabulæ, ob audaciam in dies ingravescentem diasceuastarum, fuisse mihi videtur pernecessarium. Quam illorum temeritatem atque audaciam eo non parum auctam esse suspicor, quod non modo cognati, ut initio, sed post aliquod temporis spatium (ita enim mea fert opinio) alii quicunque ad Æschyli et aliorum fabulas publice exhibendas admitterentur. Exemplaria vero istiusmodi exstitisse, ex iis licet conjicere

quæ apud Galenum [95]) narrantur de Ptolomæo Euergeta, callide, et jactura quindecim talentorum sponte facta, nitidissima illarum tragoediarum exemplaria sibi comparante. — Quæ autem de tragoediis, recitatis a scriba, non, ut olim, publice ab histrionibus actis, passim ferunbur, ad mera somnia amandanda sunt (vid. supra). Ultimis igitur verbis loci nuper allati: ἐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι, aut error inest auctoris; aut aliquo, haud facile emendando, vitio corruptus est textus; aut incuriosius scribens auctor, quisquis fuerit, aliud forsan, ac verba significare videntur, cogitavit, sed animi sensum haud bene verbis expressit. Quæ res cum talis sit, non difficile equidem, ut credam, adducor, id solum voluisse illis verbis auctorem significare, nemini tum temporis fuisse licitum, Æschyli, Sophoclis Euripidisque agere fabulas, nisi quæcunque omnia lege sancita essent, accurate diligenterque observarentur.

95) In Epidem. Hippocrat. libr. III. Comm. Galeni II. Tom. IX. Paris. 1689. De vanitate Dionysii senioris videsis Lucianum adv. indoctum, sect. XV. Tom. II. pag. 353. Edit. Schmiederi.

Nunc antequam de morte Æschyli dico, pauca de metris dicenda sunt, nec non de Siculis vocibus, quibus nostrum poëtam sæpissime usum esse, testis est Athenæus [96]). De metris Phrynicho vetustioribus nihil quidem omnino compertum exploratumque habemus: fuerunt autem generis haud dubie lyrici, eorumque similia, quibus postea in cantibus choreutarum Tragici utebantur, sed nondum Æschyli ac Sophoclis ingenio et arte limata atque disposita. A Phrynichi vero ævo paulo videmus clarius: legimus enim apud Suidam: Phrynichum trochaïcos tetrametros, a se primum inventos, protulisse in scenam. Quod metrum ob eam præcipue causam fuit temporibus antiquissimis usurpatum, quod esset imprimis id natura et indole sua saltationibus chori aptum [97]).

96) Athenæus libr. IX. cap. XIV. pag. 402.: Αἰσχύλος διατρίψας ἐν Σικελίᾳ πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελικαῖς. De Hebraïsmis s. de vestigiis lingvarum Orientalium, quæ in tragoediis Æschyli nonnulli sibi videntur deprehendisse vid. Fabricium l. c. pag. 169.

97) Arist. A. P. IV, 18 sqq. τό τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον ἐγένετο. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο, διὰ τὸ σατυρικὴν, καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶ-

Eiusque metri primus inventor Phrynichus apud Athenæum in eorum ordine ponitur, qui ob frequentem tetrametrorum usum ὀρχηστικοὶ appellabantur [98]. Postea autem, cum justus inter actores institutus sermo esset (vid. sup.), novum quoque, sermonibusque accomodatissimum inventum est genus metri [99]; a quo deinceps tempore, auctore præsertim Æschylo, principem in Græcorum dramatis locum trimetri jambeï occupaverunt. Dixi nuper Phrynichum ob assiduum tetrametrorum usum ὀρχηστικὸν appellatum fuisse; mirum est igitur, duos unicos, qui exstent, ex eius Phoenissis, versus:

Τάδ' ἔστι Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων,

ναι τὴν πόιησιν, De illo antiquissimo tempore conf. Aristotelis Problem. libr. XIX. cap. 31.: πολλαπλάσια . . . . τότε τὰ μέλη τῶν μέτρων ἐν ταῖς τραγῳδίαις.

98) Athenæus libr. I. cap, XVII. pag. 22. antiquissimos dramatum auctores ὀρχηστικούς esse appellatos refert. Conf. Aristotelis verba in not. 97.

99) Aristoteles A. P. IV. 18. seqq. ita pergit: λέξεως δὲ γενομένης αὐτῇ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον ἐστί· σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους κτλ.

et alterum:

ψαλμοῖσιν ἀντίσπαστ' ἀείδοντες μέλη

utrumque jambeum trimetrum esse. Unde apparet, illum hoc quoque genus metri, dum ipse viveret adhuc, artique operaretur, inventum, adhibuisse. Quo metro illum in ultimis suis fabulis [100]), edoctum exemplo Æschyli, usum esse, verum ita tamen, ut principem semper locum tetrametris assignaret, perquam verisimile est. Proximum nunc est, ut de Siculis vocibus a nobis breviter disputetur. Dicitur enim noster in Sicilia doricas didicisse vocabulorum formas [1]), quarum multas admodum nobis in cantibus chori passim occurere a viris doctissimis ac

[100]) Haud certo quidem constat, quonam tempore hanc tragoediam docuerit Phrynichus; verum ultimis eam esse annumerandam, vix dubitare licet. Bentleius (l. c. p. 292. sq.) Phoenissarum fieri mentionem in quinto cap. vit. Themostoclis apud Plutarchum acute ingenioseque conjicit. Quæ si vera est conjectura, sequitur Phrynichum docuisse Phoenissas, chorago Themistocle, magistratum gerente Adimanto, Ol. LXXV, 4.

[1]) De formis doricis apud Tragicos Valkenaer *ad Eur.* Phoenissas, vers. 11.

sagacissimis est animadversum. Nihil est vero, quod non potuerint Æschylo, dum in Græcia adhuc viveret, innotescere istæ doricæ vocabulorum formæ, quibus constat inter omnes, carminum lyricorum auctores frequentissime esse usos. Fuerunt autem haud dubie, ipsorum in lingva, Siculis quædam, non dorica, sed ipsis vere propria, quorum probabile est notitiam in Sicilia poëtam nostrum sibi comparasse. Verum nihil contendo: est enim hæcce res difficilima, et grammaticæ interpretationi Æschyli potius relinquenda.

De mortis genere Æschyli traditum est memoriæ, esse ipsi prædictum oraculo, telo coelitus misso eum occisum iri. Cui oraculo constitisse eventum, veteres perhibent. Aquila enim, ut testudinis, quam arripuerat, concham, illisam in saxa, confringeret, errore dicitur eam in calvum caput Æschyli demisisse, et hoc modo vita summum poëtam privasse [3]). Quo facto, illum Geloï inter publica monumenta civitatis splendide

[2]) Suidas voc. χελώνη μύων et Αἰσχύλος. Biographus Æschyli, Valerius Maximus, IX, 12.; Plin. hist. X, 3., Tom. II. pag. 340. et auctor vit.

atque magnifice sepelivere. Quin etiam tragoedi, honorem illi exhibendi gratia, dicuntur ad monumentum sepulchri eius dramata docuisse.

His ita nunc absolutis, ad fabulas, quæ sunt superstites, Æschyli progrediamur. In qua parte disputationis meæ non ita versari constitui, ut, quæ commode dici queant, congerere ac cumulare omnia studeam. Quæ ratio imperitorum fere hominum est, et lectoribus indoctis atque imperitis, magis, quam intelligentibus, probari plerumque solet Prætereaque homines ea sunt sæpissime indole, ut quæcunque statim ipsis de argumento, ad tractandum proposito, cogitantibus in mentem venerint, ea quoque dici potissimum velint, cæteraque omnia, dum avide hæc exspectant, obsoleta, nulliusque esse frugis existiment. Cuiusmodi lectoribus, si in hunc libellum meum forte inciderint, dictum velim, dum hæcce scriberem, curæ cordique fuisse mihi, ut ea in primis

Æschyli edit. Rob. præfixa et Ælianus de nat. animal. libr. VII, cap. 16. Ed. Conr. Gesneri. pag. 155.

afferrem, quæ utilia nonnullis, nec injucunda plerisque fore viderentur. Nec in tam ubere ac copiosa materia fieri potest, ut, quicquid cogitent omnes, unus dicere possit. Quod bene reputantes, justi debent esse et æqui judices nostri, quales esse oportet artium scientiarumque ingenuarum candidos liberalesque cultores. Quibus ita monitis denique restat, ut addam, in ordine, quo se fabulæ excipiunt, habuisse me nullam rationem chronologiæ. Quæ cum prorsus incerta esset, eum ordinem sum secutus, qui mihi inprimis aptus videretur esse ac commodus.

Initium faciamus igitur ab ea fabula, quæ inscribitur:

Septem adversus Thebas.

Nobis de tragoediis Æschyli tractaturis opportuna sæpe se offeret occasio summum eius, et vix æquiparandum ingenium admirandi. Cuius ingenii tanta tamque mirabilis vis fuit, ut Tragoedia e capite Æschyli, veluti e Jovis Minerva, subito prosiluisse optimo jure dici queat. Sed de indole ac natura Tragoediæ græcæ in universum pauca hic

esse mihi videntur præmittenda. — Quævis ars, profecta ex alia arte, originis suæ diu vestigia retinet; quod perinde quoque evenisse constat Tragoediæ. Haud iis quidem assentior, qui nihil fere discriminis statuunt interfuisse inter antiquissimam epicam et tragicam poësin. Verum ex Epopoea s. epicolyrica poësi, quasi ex matre pulchra pulchram filiam; Tragoediam, esse natam, potius dixerim. Cum vero multi temerarii homines, inepti temporum variorum æstimatores, in tragoedia græca justam desiderant compositionem fabulæ, implicationem, solutionem, et eiusdem generis alia, proposui mihi pauca quædam afferre, quibus et istorum refellere vanitatem, et veram indolem ipsius Tragoediæ quodammodo explicare conabor.

A cantibus religiosis profecta Tragoedia chorum retinuit semper; quem posteriorum Tragicorum neminem omisisse traditum est memoriæ. Hinc vero repetenda est peculiaris quædam græcæ tragoediæ, ipsique soli propria indoles, sed ab aliis nunquam gentibus revocanda. Nam artis forma, tum temporis grata atque venusta, quovis alio *ævo præter* naturam esse, ut magis arte quæ-

sita, quam nativa, videatur necesse est. Omnibus enim rebus, quibus istud tempus lætissime effloruisse scimus, sublatis ac dissolutis, nihil, ut suspicor, tali imitatione efficeretur, nisi illius summæ pulchritudinis jejuna admodum ac levissima adumbratio. Multis autem modis aucta et immutata ævi recentioris Tragoedia, plures habet formas sibi peculiares, et illas minime quidem rejiciendas (quod sentire summæ est perversitatis indicium), sed quæ imaginem tamen artis referunt valde diversæ dissimilisque, e cuius quasi fonte ducunt originem. Quæ autem his artis formis sunt propria, græcæ quoque Tragoediæ, tanquam et ipsi necessaria, velle obtrudere, hominum est iudicium temere multa miscentium, et male ingeniosorum. Quo referenda esse censeo axiomata, ad exemplaria efformata atque expressa poëtarum recentiorum, de implicita artificiosaque fabulæ compositione, de singulari quadam epitasi ac solutione nodi, de valde arguta ac lepida descriptione morum etc. etc. Quibus omnibus est locus utique in tragoediis, quæ his ipsis rebus carere nullo possunt modo: nec sunt ab Æschylo ac Sophocle imprudenter neglecta: quin potius summi præ-

stantissimique poëtæ in argumentis dramatum disponendis, et moribus personarum describendis valde eximii sunt, sed suo, non aliorum, utuntur more. Sublimes, eædemque fere semper simpliciores eorum sunt fabulæ, magisque gravitatem sequuntur rerum, quam novitatem, qua barbari plerumque homines atque inculti mirifice delectari solent [4]).

Haud equidem sum ignarus, laudatissimam tragoediam Sophoclis, quæ inscribitur: Oedipus tyrannus, artificiosius compositam esse, et ad normam rationemque ævi recentioris accedere paulo propius. Ne credas tamen, contigisse tandem græco ingenio, ut hac in fabula perfectionis gradum, frustra ad id usque tempus quæsitum, nec semper postea feliciter servatum, assequeretur. A qua tantum equidem absum opinione, ut sine ulla confirmaverim dubitatione: poëtam postea viam simpliciorem ingressum, nec ipsum sibi, nec aliis ob eam causam visum esse inferiorem. Nec ullo licet modo assumere

4) Ab hac autem simplicitate Græços postea recessisse perquam probabile est; conf. verba Biogr. Æsch.: *αἱ διαθέσεις τῶν δραμάτων ἐ πολλὰς αὐτῷ περιπετείας καὶ πλοκὰς ἔχουσιν, ὡς παρὰ τοῖς νεωτέροις.*

poëtas Græcorum tragicos, si eiusmodi artis indolem essent secuti, tam prorsus fuisse a proposito aberraturos. A qua suspicione eo præterea magis avertimur, quod nullum licet eorum in scriptis vestigium deprehendere, unde suspiceris, ad fastigium quoddam perfectionis, quod non assequi possent, vano irritoque labore eos esse annisos. Prætereaque talis græcæ poëseos fuisse videtur indoles, ut in parvis perfecta, suisque numeris absoluta, quam in maximis splendidissimisque rebus manca et imperfecta esse maluerit. Unde, mea quidem sententia, repetenda est græcorum poëmatum integerrima, præstantissimaque forma, cui plurimum veteres tribuebant, cuiusque maximam, et nunquam nisi cum litteris perituram laudem et gloriam consecuti sunt. Argumenta denique fabularum vulgo ducebant illi ex historia mythologica, quæ assidua perpetuaque consuetudine tam usu trita erat ac celebrata, ut nemo fere illius temporis hominum istis poëtarum fabulis, tanquam obscuris atque incognitis, offenderetur. Quæ res magnam attulit poëtis libertatem: ita ut singulas quascunque fabularum partes, quasi avulsas a corpore, sibi sumere, easque sine reprehen-

sione audientium legentiumve arte sua atque ingenio exornare et perpolire possent.

Sunt igitur tragoediæ græcæ amplæ potius ac magnificæ partes dramatum, quam tota atque integra dramata. Quod si verum est, sequitur, maximam gravissimamque facessere generis utriusque perturbationem, quicunque græcæ antiquitatis, recentiorisque ævi Tragoediam ad unam eandemque normam ac regulam stulte imprudenterque velint exigere. Quo nihil est sane perversius! habet enim quodvis, quo glorietur, ævum: studiosisque litterarum bonarum omnium eo maxime est elaborandum, ut, a temeritate falsarum opinionum alieni, sibique caventes, suum cuivis tribuant.

Tragoedia Græcorum imaginem nobis exhibet vis ac virtutis interioris hominum, diram fati necessitatem fortiter propulsantium, ut intactam atque illæsam suam vindicent libertatem. Quæ paucis verbis expressa veluti est atque exposita vera et nativa græcæ Tragoediæ indoles. Universa enim rerum natura, hominumque pars longe maxima, illi subjecta necessitati, eiusque ad nutum atque arbitrium sese unice fingens, serviliter ei illiberaliterque paret. Soli autem fortiores ac

generosiores homines nulla vi, nullisque periculis victi, cuique se offerunt vel maximo rerum suarum vitæque discrimini, id unum enixe efficere molientes, ut diviniorem sui partem salvam atque incolumem præstent, utque proposita et consilia sua fortiter persequantur. Quæ cum talis apud poëtas describatur istorum heroum indoles ac natura, facile potest perspici, vel in ipsa morte summa omnium admiratione ac laude eos ornari et illustrari. Lætissimamque fovet in animis nostris faustioris et olim oriundi rerum ordinis spem invicta illa indomitaque mentis humanæ fortitudo ac constantia; qualem nobis ostendit pulcerrima fabula, quæ Prometheus vinctus inscribitur. Fit vero nonnunquam exempli causa in Septem adv. Thebas, ut tam austera sint omnia, turbulenta atque atrocia, ut fatalis necessitatis (εἱμαρμένης), quam alma spes divinæ providentiæ nondum mitigaverat, dira atque horrenda imago nostris animis obversetur.

His breviter ita de Tragoedia decursis (studium brevitatis me ponere ista magis, quam explicare coëgit), ad argumentum nobis propositum nostra revocetur disputatio. Laius, rex Thebarum, oraculum dei Del-

sum videmus enixe agere, ut virginum animos reprimat tranquilletque. Hæc enim illarum tam anxia trepidatio magnum ipsi timorem injicit, ne fortis atque alacris animus civium tali concursatione imminuatur. In quibus omnibus rebus, partiumque oppositis studiis tragice et exquisite admodum describendis, plus quam dimidia huius fabulæ pars versatur. Quæ omnia luculentissimo nobis documento sunt, Æschylum inspicatum a Marte hanc fabulam composuisse, qua monumentum, ut ita dicam, ære marmoreque perennius ipse fortitudinis atque virtutis sibi erexit.

Septem illi duces haud coram quidem ipsi conspiciuntur in fabula nostra (cuius rei causam mox infra afferam), sed nuntium inducit auctor s. speculatorem, qui principum istorum ingenia consiliaque aperiat. Qua in parte fabulæ, ne infra dignitatem Tragoediæ descendens poëta languesceret, necessarium fuit, ut pompam splendidissimam magnificamque styli tragici adhiberet. Quantumque in sublimi ac gravi rerum maximarum exornatione excelluerit, ante jam monui: nunc vero confirmo exemplo, lectores relegans ad *eximiam* præstantissimamque exercitus ho-

stilis, eius consiliorum, apparatusque bellici descriptionem, quæ legitur vers. 377—678. Cuius descriptionis summam ac prope singularem pulchritudinem quicunque non percipiat, et admiretur, is, mea quidem sententia, valde stupidus sit atque inbellis necesse est. Qua in re oportet denique meminisse, argumentum hoc, epicæ et lyricæ poësi fere prorsus peculiare, Æschylum ingeniose in suum intexuisse drama. Hæc igitur artificiosa bellicarum rerum adumbratio, lætissimisque conspersa artis atque ingenii floribus, neque superflua mihi videtur, neque fervidiori unice poëtæ ingenio adscribenda; verum multo magis ad dramatis integritatem et harmoniam penitus absolvendam valde utilis, quin etiam prorsus necessaria est æstimanda. Quæ nuper diximus de græcæ tragoediæ natura et indole, in hanc optime cadunt fabulam. Videmus Æschylum argumentum hoc, non valde aptum tragoediæ, ingeniose disposuisse, et tragice exornasse: quapropter illum magnopere laudandum, non morose vituperandum esse censemus. Hinc vero illæ de actionis inopia, de vestigiis infantiæ artis, eiusque generis aliæ querelæ sunt ortæ. Quid multa? De actio-

nis inopia, quid sentiam dixi, artisque nondum maturæ atque perfectæ vestigia in hac nostra fabula inesse concedendum est utique: sed memini me legere alicubi: infantiam artis Æschyleæ similem infantiæ Herculis esse. Quæ comparatio inprimis apta, et ad rem proprie significandam quasi nata mihi videtur. His vero omnibus, quæ ad duces hostium describendos, nec non ad apparatum bellicum, statumque rerum Thebaïcarum explicandum pertinerent, absolutis, nuntius tandem Polynicem, cupidine vindictæ incensum, portamque septimam superbe insolenterque aggredientem, vividissimis depingit coloribus (vers. 633 sq.). Quibus auditis Eteocles diras horrendasque imprecationes parentis in impios filios ad exitum jam properare et festinare, gravissime commotus animo, præsagit. Dolori autem fortiter resistens, adversus fratrem impie pugnaturum arma capit. Chorus, humanitatem, ut solet, pietatemque suadens, ab hoc impio, et nulla unquam ratione expiendo facto (vers. 581—684 et alib.) gravissimis illum monitis conatur depellere. Sed frustra! Eteocles furibundus adeo et *insanus*, ut nullis naturæ pietatisque con-

stringi amplius et cohiberi vinculis possit, cum his verbis (vers. 721.):

Θεῶν διδόντων, ἐκ ἂν ἐκφύγοι κακά!

in foedissimum certamen ruit.

Chorus, qui solus remanet, dum suis quisque cum sociis fratres decertant armis, in sublimem, et præsagii plenum cantum erumpit (vers. 722—793.); e præcedentibus prospiciens futura mala, tristissimam Eteoclis ac Polynicis interitum vaticinatur. Tragica enim Musa (Græcorum certe) nihil forte casuque statuens fieri, omnia, vel longo temporis intervallo disjuncta, arcte conjungit atque connectit. Conf. vers. 742—43.

ὦ πόνοι δόμων νέοι
παλαιοῖς ξυμμιγεῖς κακοῖς.

Quæ verba optimo jure cadunt in Eteoclem et Polynicem; utpote quorum luctuosa fata ex valde antiquo malorum fonte manaverint. Impii enim ipsi ac scelerati, constricti tenebantur facinoribus malisque, quæ a maioribus hereditate, ut ita dicam, erant transmissa. Pulcherrimeque chorus hanc exornat sententiam: ferocissimos illos principes, quorum habendi cupiditati nihil nunc satis sit, mox nihil habituros esse, nisi quantum terræ suis possint occupare corporibus. Quæ sen-

tentia Oedipi exsecrationibus multum confirmatur. Videndum igitur nobis est de votis parentum ultimis, quibus ad fata posterorum fausta sive infausta multum omni ævo homines tribuere. Quam generis humani communem persuasionem in dramatibus componendis exornandisque poëtæ feliciter et cum fructu sæpissime adhibuerunt. Efficitur enim justo eius prudentique usu, ut nihil in vita hominum casu, sed divinitus omnia, consilioque æterni fati fieri videantur. Qua re, mea quidem sententia, melius nihil efficaciusque poterit inveniri, ad vim gravitatemque conciliandam tragoediis. Quapropter ut recte factum laudamus, quod horrendæ imprecationes maiorum, nepotumque tristissima fata, veluti causa atque effectus, connexa sæpe apud Tragicos inveniuntur. Cui rei certissimo est documento (ne multa congeram nomina), Orestias Æschyli, de qua copiosius nobis infra agendum erit. Verum in hac quoque fabula multum illis Oedipi diris a poëta tributum esse videmus. Initio quidem minus, dum paratum bellum, nec impietas consangvineorum ad summum usque progressa est. Deinde vero, ex quo sese adversus fratrem de imperio dimicaturum esse

Eteocles decrevit, subito patris illorum Oedipi imprecationes e recessu quasi prosilientes, capitis Gorgonëi instar, animis adversantur, miserosque homines nihil amplius sinunt quiescere.

Dum virgines canunt (vid. sup.), res omnis conficitur. Servantur Thebæ: sed duces hostium, excepto uno, in certamine occiduntur omnes: ipsique fratres, Eteocles et Polynices, manu mutua cæsi, tristia sua explent fata:

Ἄναξ Ἀπόλλων — — Οἰδίπε γένει
Κραίνων παλαιᾶς λαῖε δυσβελίας (vers. 803—4.)

Eorum neuter quidem justus, insons et probus; sed Polynices tamen gravius et magis impium, quam Eteocles, facinus videtur commisisse. Etenim nonmodo bello suscepto adversus fratrem, verum etiam abominando illo consilio patriam urbem vi armisque devastandi, legem naturæ pietatisque turpissime violaverat. A qua saltem parte Eteocles, quamvis fratrem ipse injuria ad impietatem lacesserat, justior nobis apparet: nam adversus patriam nihil prorsus mali molitur, sed vitam pro salute eius devovens, maximis se fortiter periculis objicit. Quamobrem hic aptus inprimis est, cui in hac fa-

bula primæ demandentur partes. Polynices autem longius, ut ita dicam, e conspectu remotus est. Quod bene factum ab auctore mihi esse videtur, nimirum ne animos nostros Polynices sua impietate ita a se abalienaret atque averteret, ut eximius ille terror tragicus, temperandus miseratione, in foedum molestumque horrorem contemtumque abiret. Cum hac vero principum indole eventus quoque rerum optime congruit. Uterque enim impius mutua mulctatur cæde: Eteocles vero propter amorem patriæ justior, idemque felicior, nobilissimam urbem morte sua salvam ac tutam præstat.

De apparatu belli magnifice descripto jam diximus; nunc vero ipsum bellum, quæque in bello sunt gesta, eodem quo antea nuntio inducto, Æschylus simili arte describit. In quibus rebus, tam eximius est noster ac prope unicus, ut, quæ oculis subtracta sunt, coram agi videantur. Hæc enim magnorum illustriumque virtus est poëtarum, ut clarissimas imagines rerum, quamvis absentium, in animis nostris excitent. Qua virtute sua prudenter admodum usus Æschylus in argumento, ut diximus, parum apto Tragoediæ, ita versatur, ut

summa certe nostra dignissimus sit admiratione. Artisque ornamenta, quorum multa e rebus bellicis coram actis potuissent peti, aliis compensat pulcherrimis ingenii sui dotibus. Ob ea itaque, quæ sunt ab eo omissa, summopere est laudandus Æschylus: quod nullo modo silentio transmittere volui: homines enim, ut ait Cicero, imperiti facilius quod stulte dixeris, reprehendere, quam quod sapienter tacueris, laudare possunt.

Talis vero oeconomia in lenociniis artis parce adhibendis haud rara apud Græcos, sed communi, ut videtur, consuetudine poëtarum recepta fuit. Eandem vero quasi unice veram normam et regulam aliis quoque commendare sæculis atque obtrudere velle, hominum, ut ante jam diximus, perverso partium studio addictorum solet esse iudicium. A quo turpi studio nos alienissimi consuetudinem illam, qualis in græca Tragoedia, subtilis sensu artis Atheniensium fundata fuerit, breviter explicemus. Dum vaga esset adhuc atque inconstans Tragoedia, poëtas sibi ita temperasse, credere vetat harum rerum ratio bene accurateque perpensa: estque perquam verisimile, Æschylum auctoritate exemploque suo hanc poëtarum consuetudi-

nem sancivisse. Apud Philostratum legimus (vid. sup.): Æschylum personarum in tragoediis cædem post scenam faciendam primum omnium excogitavisse, ne histriones in scena ante oculos spectatorum interfici viderentur. Quod vero ita de cæde refert Philostratus, idem de iis quoque personis tragoediarum valere suspicor, quæ in bello occiduntur, nec non de ipso universo bello, a quo in scena repræsentando Græcorum scriptores tragici, quantum nos possumus judicare, prorsus abstinuerunt. Ex qua illorum consuetudine magnam, ut opinor, partem nata est sublimis illa eademque sincerrima simplicitas, cui haud dubie debemus posse nos pompa apparatuque, quo utebantur, scenico, quin etiam accurata harum rerum cognitione destituti, summam illorum operum atque præclaram pulchritudinem ex ipsis fere penitus perspicere et intelligere. Nec multum equidem absum, quin credam, Atheniensium in artibus liberalibus subtilem elegantiam a levissima veri belli imitatione, quibus potest in scena institui, valde abhorruisse. Inprimis cum peritissimi essent belli eo ipso tempore Athenienses, utpote qui *plerique* pro salute patriæ cum Persis fortiter

ac strenue dimicassent. Potius igitur ex nuntii ore, quæcunque post scenam veluti acta essent, audiendo percipientes, vegeto, ut erant, ingenio præsentissimam earum rerum imaginem sibi animis informabant.

Nunc ea, quæ de fabula ipsa adhuc monenda restant, persequamur. Nuntius res gestas post obitum Eteoclis refert: quibus auditis chorus, in eventum rerum intentus, variisque curis distractus, ita afficitur, ut nuntii verba, quamvis clara et satis perspicua, vix capere posset. Tandem vero (vers. 824 seqq.) exorditur cantum, oppositorum sensuum, doloris ac gaudii, plenum. Multo autem vehementius virgines illæ, quibus constat chorus, visu commoventur virginum miserandarum, Antigonæ et Ismenes, quas scenam ingredientes alternis cantibus excipiunt. Quibus similiter respondent sorores illæ, mentis indole præditæ, ut mox videbimus, valde dissimili. Post lessum fratribus factum eorum corpora in sepulchro patris deponere aggrediuntur. Verum subito ab hoc suscepto opere impediuntur: præco enim, missus a Creonte et senatu reipublicæ, jubet, Eteoclem, utpote fortissimum propugnatorem patriæ, honorifice sepelire; Po-

lynicem vero, acerrimum Thebarum hostem canibus avibusque turpissime sine sepultura projicere. Cæterisque timore perculsis atque perterritis, sola fratrem pie amans Antigone edicto regis se fortiter opponit. Nullisque aut minis, aut admonitionibus a suo se proposito abduci patitur: sed fratri ultimos se honores, etiam si aliorum omnium auxilio destituatur, esse exhibituram libere ac palam declarat pronuntiatque. Quibus legendis ecquis non mirifice commovetur! Polynicis summam ferocitatem post mortem quoddammodo leniri sentimus; tenerrimoque amore virginis generosæ ac nobilis tam suaviter nostri mitigantur animi, ut cum sorore miseram ac lugubrem illius sortem tristes deploremus. Apparet enim, dum his in terris versantur homines, non raro sua aliorumve culpa tantis eos implicari erroribus vitiisque, ut ad omnis generis impietatem, suamque ipsorum perniciem coeco fere impetu deferantur. Præco, cum nihil se efficere videt, rursus abit, ut consilium tam forte Antigones regi senatuique renuntiet. Chorus deinde, nova prospiciens mala, totius stirpis hinc redundaturum esse interitum præsagit. Ismene contrariis affectio-

nibus huc illuc trahitur: hinc amore fratris, qui nunquam prorsus reprimi atque exstingvi potest, hinc metu poenæ, quæ violatoribus legis erat a præcone indicta. Tandem vero hæc infirmioris animi virgo, formidini cedens, voluntatique regiæ gerens morem, a pietatis præstandæ erga fratrem deficit officio. Itaque cum in diversa sorores abeunt, virgines quoque, quibus chorus constat, aliæ fortiores Antigonam, aliæ pavidiores Ismenen sequuntur.

Videmus Æschylum hac in fabula ultra principum mortem, eorum, ut ita dicam, fata persecutum esse; quod illo tempore sæpius a tragoediarum auctoribus factum esse constat, ut in Philoctete a Sophocle. Mihique id videntur duplici consilio instituisse: partim, ut integritatem fabularum suarum absolverent, partim, ut, in tragoediarum eiusdem argumenti serie, singulas ad eam usque perducerent metam, a qua curiculum novæ fabulæ, quæ subsequeretur, commode posset incipere. Nonne vero subit mirari, Antigonam Sophoclis ab eo ipso incipere momento temporis, in quo hæc nostra tragoedia desinit? Unde conjiciat quispiam, poëtam nostrum in alia quadam fabula eiusdem argu-

stæ ob novitatem suam nostros ita percellunt animos, ut ab ipsa arte, liberalique eius sensu fere penitus abstrahamur [6]). Æschyli tamen unam habemus fabulam, in qua, morem Græcorum illum derelinquens, nobilissimus poëta gravissimum celeberrimumque cum Persis gestum bellum, cuius ipse socius fuerat, sua sibi arte effingendum exornandumque sumsit. Hæc fabula inscribitur *Persæ*; eoque in argumento quomodo Æschylus versatus sit, nunc explicare aggrediamur.

In isto bello Æschylus virtute sua magnam laudem sibi comparaverat fortitudinis; quantique æstimaverit ille boni, fortis et strenui civis famam, jam alia ostendi occasione. Nihil est igitur, quod mireris, virum, tanta ornatum virtutis ac fortitudinis laude, divino se spiritu inflatum sensisse ad laudem civium suorum, et salutem patriæ celebrandam. Voluit Græcis belli nuper gesti, ipsorum generosæ virtutis, intentusque Persarum imaginem, vividissimis pictam coloribus, exhibere. Qua præterea usus est oc-

[6]) Conf. ingeniosum Dahlmanni mei libellum: Betragtninger over Oehlenschlægers dramatiske Værker, pag. 38—39.

casione, ut gravissima morum præcepta, sine magno detrimento reipublicæ nunquam negligenda, suorum civium animis inculcaret. Nec oblivisci oportet: Græcorum a sui temporis historia abstinendi consuetudinem ad tristia inprimis ac lugubria argumenta fabularum pertinuisse. Hoc vero nostro non potuit esse aliud lætius, magisque civibus exoptatum. In quo quam prudenter Æschylus omnem evitaverit temeritatis culpam e sequentibus elucebit.

In longe remotam Persarum regionem nos poëta transducit: horrendaque ac pestifera mala ex bello, cum Græcis gesto, Persis eorumque sociis oriunda, graviter magnificeque describit. Id autem spectasse inprimis mihi videtur noster, ut Athenarum, et Græciæ universæ laudes insigni modo celebraret illustraretque [7]). Quapropter hanc nostram tragoediam dramaticum (si ita dicere licet) hymnum victoriæ potius, quam drama, proprio nomine sic appellatum, dixerim. Haud nimis igitur rigide, me quidem judice, in ea sunt efflagitanda, quæ vulgo in dramatibus requiruntur; quæque ad superiorem fabulam

[7]) Conf. vers. 268—69, 787 sqq., 820—21, 969. sqq.

de universa græcæ tragoediæ indole disputata sunt, in hanc quoque optimo jure cadunt.

Græcorum laudes poëtam in hac fabula prædicare voluisse dixi, quapropter non alienum huius loci credidi fore, si de eiusmodi laudibus apud poëtas tragicos breviter disputaverim. Notissimum est, Græcos fastu elatos, ac superbos in cæteras omnes gentes tanquam rudes, ac plane barbaras despexisse. Cui fastidiosæ superbiæ vel tragicos interdum poëtas gessisse morem, ex fabulis antiquitatis, quæ superstites sunt, facile intelligi potest: nec licet dubitare, quin multo plura documenta huius rei exstitissent, nisi jam multis ante seculis longe maxima pars græcarum tragoediarum periissent. Nunquam vero Æschylum ac Sophoclem, gravissima præcepta morum sæpe hominibus inculcantes, in foedum atque humile vitium adulationis delapsos esse crediderim, sed dignitatem artis suæ gravitatemque tuentes, aliud quasi agendo, istiusmodi laudes sparsisse; quas jucundissimas populo Attico gratissimasque fuisse, perquam est verisimile. Nec est, quod miremur, hoc ita ab auctoribus tragoediarum factum esse: erant enim *ipsi*, *utpote* Græci, hac sui admiratione im-

buti atque elati; hisque blandimentis civium se favorem sibi conciliare posse bene intelligebant. Nondum vero Athenienses inepta ac vana corruptos fuisse ostentatione, nec istiusmodi unice indulsisse adulationibus, satis superque summa evincit, nullisque circumscripta limitibus, veterum comicorum impunitas ac licentia, qua in ipsum populum universum, summosque ac potentissimos viros petulanter impudenterque invehebantur. Verum ad reliqua est pergendum.

Mores hominum atque ingenium pro temporum, locorum ac gentium varietate varie describendi ars, qua plures recentiori ævo poëtæ valde excelluerunt, Græcorum tragicis ignota adhuc fuisse videtur: Græciæque mores ritusque hominibus affingebant vel remotissimis. Qua in re sunt fere similes veterum pictorum in Germania, alibique, quos, nulla temporum ac locorum diversitatis habita ratione, ad ritus sui ævi ac mores unice respicientes, suas picturas composuisse videmus. Nec aliter in hac fabula noster, prorsus atque omnino neglectis moribus Orientis, ad Græcorum vitæ rationem omnia revocavit. Quid multa? ne illud quidem discrimen inter Græcos ac Barbaros est

quas undique collectas Xerxes secum abduxerat, ut Græcos, imperium eius fortiter ac constanter detrectantes, vi armisque subigeret. Quibus copiis, cum præsertim duces essent summi ac celeberrimi totius Orientis viri, nulla vis hominum posse videbatur resistere. Attamen vice fortunarum humanarum graviter commotus perhorrescit chorus: haud enim latet illum, fieri sæpe, ut homines a lætissima rerum suarum conditione ad summas miserias ac calamitates repente celeriterque devolvantur. Nec sine causa eorum animos illa cura angit, sollicitosque habet: postquam enim, Asia et Europa junctis, Xerxes Hellespontum suis cum militibus transierat, nullus omnino nuntius de fatis ipsius regis atque exercitus domum venerat. Atossa deinde, superioris noctis somnio vehementer permota, scenam ingreditur (vers. 153). Formosissimas duas virgines, alteram vestitam lautissimo Persarum cultu, alteram habitu dorico indutam, in somno viderat. Quas inter sese rixantes, ut compesceret Xerxes, currui junxerat, ipsarumque cervicibus frena injecerat. Quo facto, splendore vestium pretiosissimarum superbientem persicam virginem, jugo collum facile submit-

tentem conspexerat. Verum græca illa puella, ferociter se jactans, excusso jugo, confregerat currum, ipseque Xerxes, prostratus humi, cum patrem suum, Darium, gravissime hoc commotum visu, pro se stantem conspexisset, vestes suas misere dilaceraverat. Cuius non est difficilis somnii interpretatio. Legimusque Atossam, cum deinde diis sacrificandi causa, cælestium adiret aras, novis monstris aviumque infausto omine perterritam esse. Hæc quidem omnia Atossa sibi timori fuisse declarat; mox vero, ne erga principem, re male gesta, civium reverentia imminuatur, provide cauteque monet, regem, etiamsi ipsi quid mali accidisset, in imperio nihilo tamen minus, haud obnoxium reipublicæ, permansurum esse (vers. 208—12). Chorus sapienter reginæ suadet, ut, libationibus Terræ Inferisque factis, deorum auxilium imploret, Dariumque, maritum suum pie invocet, ut imminentia mala tenebris humi benignus propitiusque occultet. Quibus monitis se facilem regina præbens ex choro quædam sciscitatur primum de Athenis, et huius inclytissimæ urbis situ. Ad quæ chorus inter alia respondet: occupatis Athenis, Xerxem cæteram

omnem Græciam suam in potestatem facile redacturum esse: divitiarum fontem Atheniensibus esse thesaurum terræ: ipsosque illos Athenienses, liberos, nulliusque hominis subditos imperio, Darii valde numerosum validumque exercitum sua olim fortitudine perdidisse. Quibus responsis Græcorum supra memoratam laudem mirifice exornari atque augeri, quisque facile videt.

Hæc inter se colloquentes querelis ac lamentationibus nuntii, Persarum cladem annuntiantis, subito interrumpuntur (vers. 247). Cuius nuntii tantus est dolor, ut a rerum gestarum, quarum testis ipse fuerat, justa compositaque relatione diu impeditus, in moestas ac lugubres erumpat querimonias, quæ gravissimis lamentationibus chori magnopere adaugentur Eodemque in argumento chorus per omnem deinceps fabulam assidue est occupatus, nam in omnibus, qui sequuntur, cantibus id unice agit, ut Persarum pristinam felicitatem, cum tristissima huius imperii conditione, quam nuper rerum humanarum pepererat vicissitudo, ornate graviterque comparet. Regina tandem animum recipiens, nuntium jubet res gestas omnes accurate exponere. Magnumque in rebus tam

afflictis affert solatium, vivere adhuc Xerxem; quod ipsi gratum atque jucundum his versibus (298—99) testatur:

Ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα,
Καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγγίμε.

Sequitur totius expeditionis, adversus Græcos susceptæ, egregie elaborata et illuminata descriptio: cuius equidem haud scio, an alia sit nulla similis. Suis enim omnia tam perfecte coloribus, et ad vivum quasi, expressa sunt, ut copias Persarum ingentes innumerabilesque, Græcorum astutam calliditatem, Salaminiam pugnam, et Persarum cladem, oculis coram intueri ac conspicere videamur. Hæc vero, teste nuntio, mala non spatio unius diei terminabantur, sed Deus crudelissime in Persas sæviens, eos ita sine intermissione exagitaverat, ut e periculis perpauci erepti domum reverterentur. Quibus auditis, reginæ senumque adstantium animi non potuerunt non gravissime commoveri et affligi. Vera itaque somnia viderat superiori nocte Atossa, sacrificiorumque memor regium palatium ingreditur, ut precibus atque immolationibus faustiorem temporis futuri sortem efficiat: cantumque chorus argumenti nuper commemorati exorditur (vers.

530—596.) Quo finito, Atossa, regio ornatu deposito, in medium ipsa sacrificiorum apparatum effert, choreutasque hortatur, ut præcinentes ipsi, inferias facienti, Darium suis carminibus evocent Orco. Cui mandato senes obtemperantes deos inferos suppliciter implorant, ut Darium, summe venerandum, cuiusque similem nunquam viderint, regem in conspectum ipsis e sepulchro emittant. Quibus solenniter ac religiose peractis, Darius, quem Persæ dei prope instar reverebantur, eorum precibus commotus ac lamentationibus se ipsis vere conspiciendum præbet. Cuius difficilimi facti gravissima impedimenta Darium solum sua apud inferos auctoritate potuisse vincere testatur Æschylus, vers. 685 seqq.

Hæc mortui regis evocatio, ut mihi quidem videtur, vulgari hominum debetur opinioni, qua magicæ artes ad Orientem, tanquam ad proprium quoddam referuntur domicilium. Ingenium vero Æschyli magnnm, sublime et audax hinc manifesto elucet. Haud enim umbram levissimam quandam, spectrumve cito evanescens, sed ipsum cum suis amicis colloquentem regem *inducit* in scenam. Cui visioni, ut

maiorem adderet vim, et ad animos commovendos efficientiam, Æschylus in Dario optimi prudentissimique regis perfectam adumbravit imaginem, callideque effecit, ut, tam in vita, quam post mortem ille cæteris hominibus omnibus virtute ac dignitate videretur præstantior. Constat quidem generis humani imbecillitati, nec non fortunæ vicissitudini, vel ipsum Darium fuisse, æque ac alios, obnoxium: sed haud gravatim nos ignoscimus poëtæ, fidem historiæ paululum detorquenti, si modo eo facto maiorem sui operis perfectionem ipsi assequi contingat. Prætereaque summa, qua Darium Persæ prosequuntur, veneratio haud parum splendoris ac dignitatis addere virtuti Atheniensium mihi videtur. Quo enim maior illius regis laus, eo simul illustrior horum videatur virtus necesse est. Quo denique facit quoque valde iniquus ac tristis imperii Persarum status cum rebus olim felicissimis lætissimisque comparatus. Quibus omnibus, Aristophane teste (in Ranis), bonos, fortes, strenuos atque illustres amore patriæ cives poëta voluit conformare. Quo in studio boni poëtæ summum dicitur officium posuisse.

Quid mirum igitur senes tanti et tam præclari principis visu fere obmutescere, singulisque modo vocibus summam veneratione nem significare? Quibus frustra monitis, ut, reverentia missa, loquerentur, ad Atossam se Darius convertit, eamque hortatur, ut veram tanti doloris et ejulatus causam aperiat. Quod, ut faceret, rogata, statum regni Persarum, suo cum marito colloquens, accurate diligenterque persequitur. Quo finito colloquio, Darius afflictus moerore confitetur, citius, quam speraverit, eventum vaticiniis constitisse (vers. 736.), hominesque ad interitum sæpe inconsiderate imprudenterque ruere. Nam elatus superbia atque insolentia Xerxes Hellesponto quasi catenas injecerat, deosque omnes, præcipueque Neptunum se superaturum esse, turpiter ac stulte speraverat [9]). Atossa vero huius omnem temeritatis culpam in improbos ac malignos quosdam homines conjicit, eosque dicit Xerxi exprobrantes semper, quod imperium hæreditate acceptum non augeret,

[9]) Ab ipso Dario Bosphorum Thracium ponte olim fuisse junctum, silentio transmittitur: quo silentio ea, quæ sunt a me disputata, confirmantur.

illum impulisse tandem, ut adversus Græcos temerariam istam expeditionem susciperet, Darius autem, graviter molesteque ferens, tantum in rempublicam olim beatissimam incidisse malum, fata Persiæ a vetustissimis inde repetit temporibus, antiquiores reges tantas nunquam calamitates huic intulisse regno declarat, æstumque filii sui nimis juvenilem vehementer vituperat. Cupiunt a rege sapientissimo cognoscere tandem senes, qua ille ratione Persiam tutam in posterum præstari posse ab eiusmodi malis putet. Quibus Darius respondet (vers. 787—89.):

Εἰ μὴ στρατεύοισθ' ἐς τὸν Ἑλλήνων τόπον,
Μηδ' ἦν στράτευμα πλεῖον ἢ τὸ Μηδικόν.
Αὕτη γὰρ ἡ γῆ ξύμμαχος κείνοις πέλει.

Quod ita apte vereque de ista dicitur regione: haud enim tam numerosæ sufficiens armatorum copiæ alendæ, quos reliquos bellum fecerit, fame atque inopia perdit (conf. vers. 791.). Senes in lectis denique expeditisque copiis, quas cum Xerxe mox redituras esse opinantur, spem suam omnem habent repositam. Verum ne hanc quidem illorum, quamvis sit ultima, spem ratam fore Darius ostendit. Pronuntiat enim hic maximus, et rerum humanarum divinarum-

que scientia ornatissimus vir, illum etiam exercitum, qui vana delusus spe in Græcia remanserat sub duce Mardonio, simul cum cæteris quoque perditum iri. Quibus verbis eius senes illi gravissime affliguntur. Darius vero, ut fidem dictis suis faciat, in singulis illorum militum fatis recensendis explicandisque data opera pergit. Quamobrem laude dignissimus mihi videtur poëta, qui hæcce oracula ad amplificandam gravitatem Darii majestatemque aptissima in suam prudenter fabulam intexuerit. Darius deinde amicos suos, ne Athenarum unquam Græciæque obliviscantur, monet: gravissimus enim est Jupiter nimii fastus ac superbiæ ultor. Xerxem ad prudentiam et modestiam revocare iisdem demandat senibus; ipsamque reginam, sumto decoro vestitu atque ornatu, obviam ire filio, dilaceratis vestibus incedenti, placidisque verbis eum mitigare, enixe rogat. Hortatur denique senes, ne omnem abjicientes spem, moerori nimis tristitiæque indulgeant: quibus ita peractis, oculis spectatorum repente subducitur.

Atossa miserandam ac luctuosam filii conditionem moerens, ut mandatum mariti sui persequatur, abit; nec in scena potea

apparet [10]). Dum vero chorus Darium suis celebrare carminibus pergit, Xerxes, qui non ita pridem fuerat innumerabili caterva militum stipatus, nunc solus, sociisque orbatus (vers. 1030.) domum revertitur: habetque nihil nisi unam pharetram (vers. 1013.) ex mirifico multarum gentium apparatu reliquam. Qua occasione utique est concedendum, homines nimia superbia atque insolentia in justam poenam debitamque plerumque incurrere; exemplumque impietatis ac tumoris valde illustre Æschylus in hac proposuit fabula: verum nihilo secius tam gravi summæ maiestatis ac potentiæ ruina vehementissime commovemur. Post adventum Xerxis ipse et senes, misere lamentantes, immensum profundumque, quo lacerantur conficiunturque, moerorem alternis cantibus significant. Quibus absolvitur fabula (a vers. 905. ad fin.), fastigiumque quasi imponitur illis Græcorum laudibus, quibus maximam gratiam suspicor apud Athenienses Æschylum inivisse.

Glaucus in iis, quæ scripta reliquit de tragoediis Æschyli, auctor est, Æschylum

10) Conf. Schützii comment. ad vers. 848.

in Persis multa e Phoenissis Phrynichi in suum convertisse usum [11]). Qua de re facile patet nos nihil certo posse statuere. Persarum vero duplicem exstitisse editionem liquet e pluribus: argumentumque sententiæ huius præbet initium, quale nunc exstat, huius fabulæ, comparatum cum initio, quale fuisse olim a Glauco perhibetur. Perhibet enim ille tragoediam hanc ita incepisse:

Τάδ' ἐςι Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων,

Eunuchum ἐν ἀρχῇ cladem Xerxis annuntiasse, sedesque consiliariis regni persici stravisse (vid. arg. græc.): quorum omnium nihil in nostris exstat exemplaribus. Huc præterea referendi sunt versus Aristophanei in Ranis. 1060—61.:

Ἐχάρην γοῦν ἡνίκ' ἐπήκουσ' ἂν περὶ Δαρείου τεθνεῶτος
Ὁ χορὸς δ' εὐθὺς τὼ χεῖρ' ὧδὶ ξυγκρέσας εἶπεν, ἰαυοῖ!

At in nostris exemplaribus neque mors annuntiatur Darii, nec manibus complosis ἰαυοῖ choreutæ exclamant. Quem ad locum Aristophanis scholiasta disertis verbis tradit: scriptorum quorundam esse sententiam, duplicem Persarum exstitisse editionem, earumque unam esse deperditam. Quæ sententia

11) Vid. arg. græc. Pers. Æschyli.

multum firmatur iis, quæ de hacce fabula, diverso tempore, bis docta memoriæ sunt prodita. Constat enim ex argumento græco simul cum Phineo, Glauco Potniense, et Prometheo Athenis eam publice esse actam, archonte Menone, quem magistratum obtinuisse Ol. LXXVI, 4. testis est Diodorus Siculus (libr. XI. Vol. I. pag. 445.). Postea autem in Sicilia Æschylum, jubente Hierone, hanc fabulam repetivisse, secundum Eratosthenem scholiasta Aristophanis (l. c.) his verbis refert: δοκοῦσι δὲ οὗτοι Πέρσαι ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις, σπουδάζοντος Ἱέρωνος [12]). Ex quibus sequi mihi videtur, dubium non esse posse, quin editio Persarum duplex olim exstiterit. Oritur autem quæstio, istarum editionum utrumne prior nostra sit, an posterior? Quæ res admodum quidem est dubia atque incerta: tamen ausim conjicere, posteriorem nos habere Siculam editionem. Aristophanes enim (l. c.) haud dubie mentionem facit eius editionis, quæ Athenis acta plerisque esset illo tempore cognita. Vide-

[12]) Idem scholiasta ad vers. 1053, refert fabulam, quæ Persæ inscribitur, doctam esse ante Septem adv. Thebas.

mus vero, quod affert Aristophanes, in nostra non exstare editione: itaque ad posteriorem, quam Siculam vocamus, editionem optimo, mea quidem sententia, jure deducimur. Suspicor tamen priorem illam huius fabulæ editionem non adeo esse a poëta postea immutatam, ut nihil intactum relinqueretur. Quod assumere me inducit præcipue valde frequens usus tetrametrorum, quorum permultos poëtam retinuisse videmus; quamvis illo tempore hoc versuum genere eum rarius esse usum perquam verisimile est.

Prometheus vinctus.

Jupiter ac Saturnus de summo rerum imperio bellum dicuntur crudelissimum atrocissimumque olim gessisse. Gestaque feliciter re, cum Jupiter imperio potitus esset, hominumque res et deorum solo suo dehinc arbitratu administraret, non modo hostes suos et inimicos duriter atque aspere tractavit, verum humani quoque generis nihil prorsus miseratus, summis demergi calamitatibus miseriisque passus est. In qua rerum humanarum tam desperata conditione Prometheus salutis ac libertatis hominum vindex prodiit. Nec ulla spe, aut præmiis, sed sola mentis generositate, mortaliumque amore provocatus, crudelissimo Jovis, ac deorum cum Jove regnantium, imperio fortiter reluctatus est. Quapropter nobilis hic atque illustris generis nostri servator heros est vere tragicus, quo nescio an nullus unquam fuerit magis aptus Tragœdiæ. Jupiter in hac fabula ferocissimus rerum omnium atrocissimusque dominus ac moderator sistitur. Cuius imaginis, ut ita dicam, acerbitatem haud multum absum, quin credam, Æschylum in Prometheo λυομένῳ lenivisse, reconciliatione inter

patris cogitur, quamvis invitus, obsequi. Quod ut strenue faciat, gravissimis minis monitisque tergiversantem eum cuuctantemque Κράτος, procacissimus Jovis minister, impellit stimulatque. Hic enim Κράτος sensu humanitatis prorsus atque omnino carens, nihil sanctius habet, quam ut Jovi serviliter morem gerat. Cuius acerba ferocitas prudentissime placidiori Vulcani mitiorique ingenio temperatur. Βία eiusdem, ac Κράτος, indolis nihil loquitur quidem: verum præsentia sua, et scenico apparatu, quis sit, et qualis, significat. Alia vero Promethei, alia huius silentii est ratio. Haud enim Βία, constantiam mentis gravitatemque significandi causa, silentium servat; verum ut sua præsentia ferocem petulantemque Roboris augeat asperitatem. Hanc vero personam tacitam mutamque adstare, prudenter admodum censeo a poëta institutum esse. Hac enim ratione sapienter effugit, quam utriusque, Roboris ac Vis, summa foedissimaque actrocitas facile movisset, offensionem. Ipse vero Prometheus gravissimis non succumbit doloribus, nec aspero, crudeli, et nulla æquitate mitigando arbitrio Jovis morem gerit: verum ad spem se erigit exspectationemque

salutis, quam sapientissimus heros, edoctus a matre Themide, sibi aliquando esse eventuram, certo confidit.

Ad similitudinem societatemque humanæ indolis ac naturæ sunt omnia in Græcorum poësi revocata: ipsique dei in speciem humani oris assimilati, hominum vivunt more et agunt. Quod studium nullis tamen est proprium magis et peculiare, quam auctoribus tragoediarum, quibus principium artis ac finis soli sunt homines, hominumque vita. Nisi itaque Prometheus doloris tangeretur sensu, nulla esset vis fabulæ huius atque efficientia ad animos nostros commovendos. Tantum vero errorem facile noster evitavit: tacet enim Prometheus, quamdiu eius, ut ita dicam, carnifices adsunt: eorum vero post abitum, doloris acerbitate victus, in tristes querelas et lamentationes erumpit. Naturam obtestatur omnem, rerumque elementa; non alios enim habet, quos testes calamitatis suæ invocet; gravissimaque, quæ sibi imminent mala, tristis præsagit animus. Mox vero fortissimus ille heros dolorem questumque compescit: nam homo ejulans semper atque lamentans nos tædio tandem afficit, veramque tragoediæ vim tollit. Pru-

denter itaque Prometheus a lamentationibus revocat animum, fatumque necessarium esse, et nulla unquam ratione evitari posse intelligit. Oportet igitur constanter id ferre; verum ea tamen sollicitat eum cogitatio atque angit, quod non culpa sua aliqua, sed summis hominum in genus collatis beneficiis has sibi calamitates conflaverit.

Qui cruciatibus nullis suppliciisque, dum adessent hostes, occubuerat, nunc solus quovis sonitu vel minimo cohorrescit. Alarumque a tergo appropinquantium strepitum percipiens auribus, jam antequam oculis venientes apparuerunt, tristia sua fata, eorumque causam alta voce pronuntiat. Benignitate summa ac singulari erga genus hominum gravissimum se Jovis aliorumque, qui eius essent partium, deorum odium sibi concitasse declarat. Quæ dum loquitur, Oceanitides apparent, Thetidis Oceanique filiæ, quæ in antro patris longe remoto, sonu ac stridore malleorum excitatæ, solitam seposuerant verecundiam, patrisque animo persuaso, Prometheum visendi causa cito adveniunt. Hisce virginibus tragoediæ huius constat chorus; earumque simplice et aperto favore Promethei ita permovetur animus, ut

in Tartarum detrusum æternis se vinculis constringi maluisse declaret, quam in aëre quasi pendentem hostibus esse risui ac ludibrio (vers. 153 seqq.). Cum his puellis dum colloquitur, animum recipit; conscientiaque virtutis cum singulari mentis constantia conjuncta, sensim redit. Quæ virtus animi initio fabulæ jam summa, nostraque dignissima admiratione, postea insigni et præclara poëtæ arte adeo augetur, ut possit nihil cogitari supra. In suppliciis, quibus a Iove affligitur Prometheus, nec non in firmitate animi atque virtute, qua has calamitates, quamvis gravissimas, perfert, describendis, versatur huius tragoediæ argumentum. Quod tanta arte exornavit Æschylus, ut in tali virtutis miseriarumque semper ingravescentium opposita ratione explicanda perpauci eius similes, vix unus unquam aliquis præstantior fuerit. Ex his vero, atque ex iis, quæ jam ante de græcæ tragoediæ indole disputavi, apparet poëtam non tam voluisse magna rerum gestarum pompa et varietate oculos hominum sensusque suspensos tenere: quam potius id spectasse, ut intimum recessum animorum penetrando, illustre aliquod daret artis ingeniique sui specimen, gravissi-

mosque affectus excitaret. Quod suum consilium ita est persecutus, ut nulla sit in omni antiquitate magis perfecta græcæ Tragoediæ, ut ita dicam, imago: ipsique veteres insignem huic fabulæ non immerito tribuerunt laudem. Homines misere fuissent deperditi, nisi contra violentiam deorum ipsis subvenisset Prometheus: cuius permulta recensentur in genus humanum collata beneficia. Quibus acceptis beneficiis, ipsi homines, somniorum quam hominum antehac similiores, mentis consiliique participes vitam tutiorem hilarioremque agebant.

Πᾶσαι τέχναι βροτοῖσιν ἐκ Προμηθέως (vers. 506) [13]. Illum denique ipsum Jovem, a quo gravissimis cruciatibus Prometheus affligitur, a cuiusque crudelitate nos fortissime vindicat, illum, inquam, ipsum ad rerum imperium potiundum Prometheus olim strenue adjuvit (vers. 197 seqq., 439 seqq. et passim). Quod sortem huius servatoris nostri multo tristiorem reddit, aptioremque ad nostram misericordiam commovendam. Oceanitides, ut in eiusmodi rebus fieri plerumque solet, crudelissimo Jovis durissimoque imperio,

[13]) Conf. vers. 193—283. cum vers. 436—525.

nec non herois intrepida atque invicta constantia graviter obstupescunt. Prometheus vero suavi et dulci salutis spe magis semper magisque corroboratur, certoque confidit fore, ut Jupiter, magnum quoddam periculum effugiendi causa, benignum se ac facilem erga ipsum sit præbiturus. Oceanitides autem, ex tam remota salutis spe nihil solatii percipientes, ut miserias, quas perfert, earumque causam accurate explicet, enixe admodum rogant (vers. 193). Quibus auditis omnibus Oceanitides factorum eius ita constituunt pretium, ut, præsentem rerum statum unice spectantes, culpam eum judicent commisisse: quod suum libere profitentur judicium (vers. 259 seqq., conf. vers. 507 seqq.). Prometheus, hac illarum animi imbecillitate offensus, se omnia, quæcunque egisset, prudenti consilio, consultoque suscepisse declarat. Idem vero suppliciorum crudelitatem sua exspectatione maiorem esse fatetur (vers. 268—70): virginesque, ut descendentes de curro, quo vectæ venerant, ipsum fata sua omnia narrando persequentem audiant, amice invitat. Quod cum ab illis factum est, grandævus ipsarum pater Oceanus Prometheum visendi causa ipse advenit.

(vers. 284). Est hic quidem bonus, sincerus ac honestus amicus Promethei: sed ea caret virtute mentis, fortitudine atque audacia, qua in rebus tam desperatis opus est ad tanta ab amicis pericula depellenda. Cautus enim et providus, ut Jovi, rerum omnium moderatori, sese submittat, nec imperio eius imprudenter reluctetur, Prometheum multis verbis, aliorumque exemplis monet, studioseque impellere conatur. Immo etiam promtum se paratumque ad pericula obeunda offert, ut salutem Promethei atque Atlantis suis precibus monitisque efficiat. Nec est, quod valde miremur: talis enim sæpe est indoles honestorum, sed paulo simpliciorum, et antiqua fide agentium hominum, ut pericula vel maiora nonnunquam ingrediantur, ne, si quid forte mali amicis acciderit, in crimine sibi illorum ponant miseriam. Prometheus vero, qui non dubitat, quin suam operam sine fructu Oceanus perditurus sit, eius consilio se vehementer opponit: pluribusque graviter dictis senem tandem impellit, ut alatam avem conscendens ad antra sua et flumina se cito recipiat.

Dum Prometheus in meritorum suorum supplicioruмque cogitatione alte infixus hæ-

ret (vers. 436), Oceanitides suam, gentium vicinarum, quin ipsius naturæ aperte candideque testantur misericordiam (vers. 397 seqq.). Quo ipsarum finito cantu, Prometheus in suis meritis enumerandis et describendis graviter atque ornate pergit. Homines, ex sordida et pecudum pæne instar inertia ad industriam et magis generosam vivendi rationem translatos, ornamentis vitæ prope innumerabilibus instruxerat. Sapientissime prospexerat, ne fata futuri temporis cognoscerent. Spem vitæ nutricem ipsis impertiverat. Usum memoriæ, sine qua artes esse atque scientia nequeunt, Astronomiam, Arithmeticam scribendique artem sapienter invenerat. Inventa medicina, tutiorem a morbis, omnisque generis periculis vitam præstiterat. Varia divinationis genera, quæ singulatim omnia recensentur, genus humanum edocuerat. Thesauros æris, ferri, argenti, aurique in terra eo usque abditos atque occultos, in lucem ille primus protulerat, et in usum generis humani converterat etc. etc. Hic vero ipse, qui tantis, tam præclaris atque eximiis mortales beneficiis cumulaverat, nunc nullius, aut dei, aut hominis, adjutus auxilio, rupi misere catenis et clavis affixus

cruciatur. Oceanitides de rebus gestis a Prometheo, eiusque mentis constantia, paulo iniquius existimare jam ante dixi: patrisque sequentes exemplum, suis admonitionibus ad obsequium Jovi præstandum eum conantur flectere: qua ratione periculis eum liberatum iri sperant. Prometheus vero, cuius virtus animi magnificentius illucescit semper, prævidet in posterum aliquando fore, ut Jupiter, in gravissimum discrimen periculumque incidens, nullius possit nisi ipsius Prometheï servari et liberari auxilio. Animum suum hac sæpe erigit cogitatione, consiliumque capit, quod solus sciat, id se nemini prius esse revelaturum, quam durissima, quibus vinctus tenetur, vincula jussu Jovis solvantur (vers. 520—525). Quæ eius spes haud vana aut fallax est: sapientissimus enim heros, a matre sua rerum futurarum scientia bene instructus, haud dubitat, quin ipse Jupiter, quamvis deorum hominumque princeps, æterno sit fato obnoxius, vers. 518:

Οὔκουν ἂν ἐκφύγοι (sc. ὁ Ζεὺς) γε τὴν πεπρωμένην.

Sibi persuasum habet, se forti et invicta in perferendis malis constantia e suis tandem vinculis aliquando solutum iri, vers. 512:

— — — μυρίαις δὲ πημοναῖς,
Δύαις τε καμφθεὶς, ῥδε δεσμὰ φυγγάνω.

Suumque, quod in salute hominum tuenda et promovenda præcipue versatur, opus, non alia posse ratione ad exitum perduci intelligit. Quibus Promethei fortissimis et valde severis consiliis ad cantum argumenti fere supra laudati divinitus Oceanitides incitantur (vers. 526—562).

At vero non modo odium et inimicitia, sed amor quoque Jovis gravissimorum malorum ac miseriarum causa et fons est. Cui rei luculentissimo documento est Jo, Inachi Argivorum regis, filia, quam ardentissimo amore olim amaverat Jupiter. Eamque ob hunc ipsum amorem miserrimam nunc puellam in scenam Æschylus inducit, eiusque tristia fata vividissimis depingit coloribus. Nec virginis huius, gravissimis obrutæ malis, præsentia in hac fabula superflua aut casu oblata videri debet; verum multo magis ad augendam gravitatem dramatis huius atque præstantiam gravissimi æstimetur momenti. Nam Jupiter, qui horrendas Prometheo calamitates intulerat, idem quoque auctor est omnium, quibus Jo vexatur, malorum. Quo fit, ut præsentia Jus multum

faciat ad luculentius explicandum illustrandumque ferum, asperum et immane Jovis, quo omnia regit, arbitrium. Quæ pæne incredibilis atrocitas Jovis e nulla re magis, quam ex accurata, qualis in hac fabula exstat, miseriarum Jus enumeratione elucet. Crudelissime ab oestro, divinitus immisso, exagitata Jo cum questu et lugubri lamentatione apparet vers. 563. Visu Promethei, qui ad rupem valde asperam religatus ipsam ita alloquitur, ut accuratissimam vitæ eius fatorumque cognitionem prodat, admodum obstupescit. Quæ eius admiratio multo magis augetur summa et prorsus divina Promethei sapientia, qua omnia cum futura, tum præterita animo comprehendit:

Σημεῖά σοι τὰδ' ἐςὶ τῆς ἐμῆς φρενὸς,
Ὡς δέρκεται πλέον τι τῶ πεφασμένῳ.

Cum ærumnis miseriisque jam antea exantlatis labores conjungit ille multos atque gravissimos in posterum perferendos, singulosque ordine diligenter perscribit. Quibus tamen perlatis laboribus, egregiam illi virgini fore celeberrimamque posterorum progeniem sapientissimus noster vaticinatur. Ex quo eius vaticinio constat, Æschylum non *temere* Jonem in hanc nostram fabulam in-

duxissa. Prometheus enim post longum temporis intervallum salutis sibi auctorem ex illius virginis stirpe tandem proditurum esse effatur (vers. 878 seqq.). Quo efficit vaticinio, ut in mediis malis spes bona nobis affulgeat. Jo, dum colloquitur cum Prometheo, respirare quodammodo a laboribus, animumque suum graviter afflictum recreare videtur: verum rursus incidens in insaniam, subito aufugit, ut tristria sua fata expleat (vers. 883 seqq.). Memoratu præterea dignum est, magnamque habet vim ad animos commovendos, quod Prometheus, ad saxa inculta et solitaria religatus, oneratusque catenis, eodem in loco immotus semper sedeat, dum Jo sine ulla remissione et requie per omnem terrarum orbem huc illuc misere exagitetur.

Oceanitides, graviter perculsæ, ob tenuem sortem suam beatas se prædicant; deosque ardentissime implorant, ut in hac humilitate et obscuritate permanere ipsis concedant. Prometheus contra magis adhuc firmatus corroboratusque, omnia, quæ antea declaraverat, nunc pie et sancte repetit; nec ullis aut precibus aut admonitionibus a suis se consiliis absterreri et avocari patitur.

Virtutis ac firmitatis animi præclara jam documenta Prometheus edidit: verum unum adhuc, gravissimum omnium, maximumque restat. Oceanus, eiusque filiæ, Oceanitides, Jovem gravioribus adhuc suppliciis in posterum eum esse afflicturum jam sæpius sollicite subindicaverant. Ipseque Promethens hanc a veritate suspicionem non multum abhorrere aperte declaraverat vers. 943: πάντα προσδοκητά μοι! - Quod ita eventu comprobari videmus. Jupiter enim anxius sollicitusque de Promethei vaticiniis, Mercurium, præconem deorum, mittit, ut ad accuratam illorum vaticiniorum explicationem Prometheum impellat, persuadeat, et invitum eum, si opus fuerit, cogat. Quod ut mandatum Jovis persequatur, Mercurius minis gravissimis, opprobriis contumeliosis, iisque omnibus, quæ summa domini auctoritas et potentia suppeditat, præsidiis constantiam herois ac dignitatem conatur infringere. Verum operam sollertiamque perdit. Prometheus enim illum servum Jovis atque ministrum summo cum contemtu et admodum fastidiose excipit: suaque admiranda mentis constantia efficit, ut conatus omnes Mercurii vani et irriti refutentur. Quin etiam

libera atque ingenua hæc verba pronuntiat vers. 997—1004:

Οὐκ ἔστιν αἴκισμ', οὐδὲ μηχάνημ', ὅτῳ
Προτρέψεταί με Ζεὺς γεγωνήσαι τάδε,
Πρὶν ἂν χαλασθῇ δεσμὰ λυμαντήρια.
Πρὸς ταῦτα ῥιπτέσθω μὲν αἰθαλοῦσα φλὸξ,
Δευκοπτέρῳ δὲ νιφάδι καὶ βροντήμασι
Χθονίοις κυκάτω πάντα, καὶ ταρασσέτω·
Γνάμψει γὰρ οὐδὲν τῶνδ' ἔμ', ὥστε καὶ φράσαι
Πρὸς οὗ χρεὼν νιν ἐκπεσεῖν τυραννίδος.

Hos versus afferre non alienum putavi: aptissimi enim sunt ad indolem ingeniumque Promethei exprimendum et illustrandum: earumque rerum, quæ mox evenient, manifestam continent significationem. Mercurius enim, nihil intentatum relinquens, ultima nunc experitur, ut Prometheum ad obedientiam præstandam Jovi inducat: liberamque inter confessionem rei occultæ, et poenam omnium crudelissimam eligendi ipsi dat optionem. Quam poenam, qualis sit futura, verbis summi ardoris ac severitatis plenis describit (vers. 1022 seqq.): hasque minas non vanas fore aut irritas, sed exitum vere habituras esse sancte asseverat. Cum rupe simul disjecta inter fulgura atque tonitrua ipsum Prometheum in Tartarum detrusum, a rapace cædisque avidissima Jovis ave

quotidie dilaceratum iri pronuntiat. Nec finem laborum miseriarumque eius ante fore addit, quam deorum aliquis se sponte vicarium suppliciorum eius præbeat. Quo effato suo Mercurius æternitatem miseriarum Promethei satis aperte significat. Quibus auditis omnibus Oceanitides magnum Promethei atque excelsum animum flectere omni conantur studio: sed ille firmissimus, nullis precibus, fraudulentis artibus, minisve perturbatur, nec animum despondet; verum in suo constanter perstat proposito. Omnia, quæ nunc immineant, mala se prævidisse declarat (vers. 1048): de suaque immortalitate (vers. 1061), harumque rerum eventu certissimus, naturam ipse intrepidus et elementa provocat, ut terram coelumque miscentia, conturbantiaque, horrendas deorum minas perficiant (vers. 1051 seqq.). Quo affectus animo vecors stolidusque Mercurio videatur necesse est. Ne vero Oceanitides, omni vacantes culpa, in suppliciorum Promethei societatem veniant, eas hortatur Mercurius, ut cito se illinc, periculum evitandi causa, proripiant. Has virgines vidimus in superioribus liberam illam Promethei contumaciam (ut verbis Ciceronis de

Socrate utar), a magnitudine animi ductam, improbantes, admonitionibus precibusque eum studiose impulisse, ut Jovem agnosceret dominum, eiusque auctoritati sese permittens, serviliter, ut cæteri omnes dei, morem ipsi gereret. Natura enim plerumque ita mulieres comparatæ sunt, ut, dum aliqua, etiamsi tenuis, spes adsit salutis, omnia parvi esse censeant æstimanda, dummodo pericula ingruentia averti depellique hac ratione posse sperent. In rebus autem prorsus jacentibus, quasque pro desperatis facile conclamatisque habuisses, eædem fortissimæ sæpe apparent, nullisque periculis, minis, et terrore absterreri se a sancto officiorum tramite patiuntur. Ita nunc quoque Oceanitides, quæ veræ ac generosæ naturæ et indolis muliebris gratissimam suavissimamque referre imaginem mihi videntur. Monitum enim consiliumque Mercurii repudiantes, se nunquam in periculis amicum derelicturas, nec suam ab eius sortem se disjuncturas esse fortiter atque ingenue profitentur. Mercurius vero, metu commotus odii atque invidiæ ex interitu harum virginum facile oriundæ, se Jovemque dominum suum libera, quam illis permiserat, venia abeundi excusat.

Tandemque, cum nihil maius mirabiliusque reliquum sit, quo virtus Promethei ac constantia adscendere possit, horrendas illas, quas nuper jecerat, minas, deorum præco perficit. Scopuli terræ motu gravissimo quatiuntur, procellis, fulgure, tonitrubus, æstuque elementorum ima summis commiscuntur conturbanturque, ipseque Prometheus cum disruptis scopulis in Tartarum profundum præceps detruditur. Qua tanta tamque horrenda ruina perhorrescimus quidem, verum spe tamen solatioque in mediis malis erigimur. Animos enim nostros hæc tragoedia advertit ad lætius quoddam, ut speremus olim venturum tempus, quo illa interior virtus humanæ mentis, nullis impedita angustiis, nullisque pressa miseriis, superbam, impiam ac ferocem contumaciam justis atque æquis limitibus coercebit.

Agamemnon.

Primam hæc fabula facit partem trilogiæ, quam suis expletam numeris, integram, et nexu conjunctam historiæ, tempus, rerum omnium edax, e seculorum hominumque turbis nobis servavit. Quod illiberalis ac parci largitoris egregium sane munus tribus suis partibus, Agamemnone, Choëphoris Eumenidibusque, cyclum facit historicum. Cuiusmodi cyclos, in quibus unum idemque per omnes fabulas argumentum tractaretur, antiqui tragoediarum scriptores sæpe composuerunt. Quid? quod fortuito id factum esse arbitror, quod ex omnibus Æschyli ac Sophoclis fabulis non nisi hæc una integra, quæ nexu historiæ cohæreat, superstes sit trilogia. Verum talis haud semper obtinuit in trilogiis fabularum junctura: ut enim cætera taceam, constat ex diserto didascaliarum testimonio (vid. arg. græc. ad Persas) Æschylum Ol. LXXVI, 4 vicisse Phineo, Persis, Glauco Potniensi, et Prometheo [13]): quæ

[13]) Hanc fabulam Prometheum esse igniferum eandemque drama satyricum, Casauboni est conjectura, quam suam quoque fecit Bentleius l. c. pag. 28.

fabulæ omnes nullo vinculo et tenore historiarum erant conjunctæ. Trilogiarum vero Tetralogiarumque antiquissima explicanda origine supersedeo: hanc enim quæstionem breviter sed præclare Dahlmannus [14]) illustravit: ex cuius admodum ingeniosa explicatione apparet, illam Trilogiis et Tetralogiis certandi consuetudinem a re potius fortuita, quam necessaria initio esse ortam; nec Sophoclem illum penitus deseruisse morem, sententia est Boeckhii [15]), qui verba Suidæ, quæ huc pertinent, verius quam cæteri explicare mihi videtur.

Trilogia, qnam nunc explicandam aggredimur, Orestias (de quo nomine infra) vulgo appellatur. Historiæ Pelopidarum partem exhibet, qua in gente scelera usque sceleribus cumulabantur, donec prodiret Orestes, juvenis ipse insons, scelerumque nefandorum gravissimus ultor. Ultionem vero suscipiebat ille non tantum propter injurias, quibus a matre atque Ægistho ipse erat

14) Primordia et Successus veteris Comoediæ Atheniensium cum Tragoediæ historia comparati pag. 22.

15) Boeckhius l. c. pag. 104 seqq.

afflictus: verum jussu Apollinis, suaque ipsius animi generositate, quasi stimulis, impulsus, haud amplius foedissimam potuit jurum omnium atque officiorum perferre violationem. Hic vero tam generosus et justus ultor impietatis et vindex, ipse sacram, quæ nunquam impune negligitur, legem naturæ violat. Nam quæ gravissima commisit facinora, mater Orestis est, ultioque ab altera parte et justa et æqua, ab altera tamen contra naturam est et facinorosa. Orestes itaque — sic enim fata ferunt — crudelissima Furiarum ira sævissime exagitatur, usque dum Apollo atque Minerva, diris illis placatis sororibus, sanitati generosum juvenem restituunt.

Acerba quidem sunt, sed tamen haud fortuita et arbitraria, quæ fatali quadam necessitate Græcorum in tragoediis fiunt. Nam mala, ex primo atque antiquo delicto quodam oriunda, per ætates multas quasi hæreditate deinceps propagantur: verum scelera tamen a proavis parentibusque commissa haud temere a nepotibus filiisque luuntur. Sors enim talis mortalium sensum nostrum graviter offenderet: foedusque horror liberalem illum terrorem miserationemque, quibus animus noster a pravis purgatur perturba-

tionibus, prorsus atque omnino tolleret. Altior igitur quædam est quærenda tanquam regula sortis et fati hominum, qualem in optimis Græcorum tragoediis eam quoque invenimus. Opinantur non raro homines — tale enim eorum natura est comparatum ingenium — se fato esse designatos, ut, miseriarum atque impietatis expleta mensura, pristinam et diu desideratam hominibus felicitatem restituant. Verum longe secus evenire solet: nam male providi in retia ipsi incidunt impietatis, et scelera augentes cumulo, sibi aliisque stulte imprudenterque struunt interitum.

Talis tamque implicitus rerum status, a Myrtili inde cæde forsitan repetendus, in gente Pelopidarum invaluit [16]) Momus enim atque Erinnyes jam diu ante Agamemnonem, ædibus assidentes, huius familiæ poenam, posterisque infaustam noxam tristissimis et male ominosis cantibus celebra-

[16]) Vid. Agamemn. vers. 1195 seqq., ibique 1203:
ὑμνοῦσι δ' ὑμνὸν δάμασι προστήμεναι
πρώταρχον ἄτης.
Conf. Heathium hos versus ad Myrtili cædem referentem.

verant. Atrei et Thyesti historia celeberrima est atque notissima. Deinde Paris, Priami filius, Helenam, uxorem pulcherrimam Menelai, furtim subducit Trojam. Quo tempore Agamemnon, frater Menelai, potentissimus erat rex Argivorum. Quem Græci, expeditionem adversus raptorem illum et Trojam suscepturi, imperatorem exercitui navium militumque valde numeroso præficiunt. In Aulide jam omnes convenerant, sed ventorum adversus flatus, navibus æque atque hominibus noxius (vers. 196 seqq.) fluctuumque molesta tranquillitas ab incoepto eos studio inertes Aulidis in portu detinent. Jam antea, cum Agamemnon et Menelaus domo discederent, omen a Jove eis missum erat, quo felix expeditionis huius faustusque successus ipsis, Calchante interprete, præsagiebatur. Quod erat omen aquilarum duorum, qui ante fores palatii regii se demittentes prægnantem leporem comedebant (vers. 104 seqq.). Cuius ominis facilis quidem est juxta morem illius temporis interpretatio. Quod vero ab hac parte erat faustissimum, nihilo tamen secius gravissimam complectebatur timoris causam (vers. 124—167). Nec id Calchantis fugie-

bat prudentissimi et sagacissimi viri sapientiam. Dianam enim, utpote foetuum tenellorum imbecillorumque tutelare numen, ob illud ipsum omen graviter offensum iri prævidebat (vers. 157 seqq.). Quod sic quoque accidisse videmus. Nam illa impedimenta et moræ expeditioni Græcorum a Diana erant objecta. Quam huius deæ gravissimam iram atque offensionem Calchas pronuntiat non alio posse modo placari, nisi per patrem ipsum immoletur Iphigenia, dilectissima Agamemnonis filia. Quod cum deniqne factum esset, impedimenta statim omnia huius expeditionis sublata sunt.

Nobis autem cavendum est, ne hanc a patre factam immolationem Iphigeniæ ad nostræ religionis, atque politioris humanitatis principia exigamus. Haud enim ipsas actiones dijudicamus, sed artis opera, illarumque actionum usum poeticum. Quod ut faciamus, necesse est, ut imaginem illius ævi heroici, quam possumus accuratissimam, animis informemus. Nam istos homines, qui, ut cæteri omnes, alieno haud sunt metiendi modulo, feroces sæpe fuisse atque inhumanos scimus. Quod nullo modo mirabile videatur: nam solem nondum divinæ religio

nis nostræ, ac cultioris humanitatis adspexerant. Nec id tamen erat impedimento, quo minus ingenua quædam et nativa humanitas, instar radiorum solis per nubes prorumpentium, ferocem illam animorum atque acerbam violentiam temperaret. Cuius indolis multa exstant documenta in carminibus Homeridarum. In illorum igitur temporum rationem nos penitus insinuantes intelligemus, nihil tot hominum gentiumque duci intolerabile aut nimis arduum potuisse videri, quin promte id perferret pro communi salute popularium. Una puella multorum causa immolanda est, ut ignominiam illatam regi nobilissimo Græcorum populus ulciscatur. Itaque gravissimo rationum pondere, quibus Agameminon ad filiam immolandam suam induci se patitur, quodammodo lenitur facti huius crudelitas. Nec aliis inductus rationibus vim potuit naturæ, sensumque paterni amoris vincere (vers. 214 seqq.): legimus enim ipsum et Menelaum, Calchantis auditis verbis, in lachrymas effusos scipione terram percussisse (vers. 210 seqq.). Quod est gravissimum doloris in potentissimis regibus documentum. Hoc tamen filiæ sacrificio Agamemnon sui ipse interitus jacit semina-

verum Æschylus præclara atque eximia arte et ingenio suo nostros ita flectit commovetque animos, ut nihil prorsus earum rerum, quæ aguntur in fabulis eius, alienum a nobis existimantes, gaudio personarum atque dolore penitus afficiamur. Heroas fingit quidem haud raro atrocia committentes, verum tam artificiose nexa sunt compositaque omnia, ut quasi attoniti, et abrepti in summam admirationem, ad ultimum ipsos prosequamur interitum.

Spatium jam decem annorum præterfluxerat, in quibus nullus prorsus de exercitu Græcorum, et de belli successu, nuntius domum venerat. Haud igitur mirum videatur, animos Argivorum, quibus in hac fabula constat chorus, perquam esse sollicitos: cum præsertim plures ad illum metum augendum causæ conveniunt. Quarum est satis nominare portentum divinitus missum, de quo nuper disserui, cruentam illam Iphigeniæ, institutam ab ipso patre, immolationem, nec non Clytemnestræ ob hoc sacrificium gravissime incensum animum. In quibus omnibus metus atque anxietatis causis diligentissime contemplandis tragoediæ huius data opera versatur chorus. Qui mul-

tum præterea occupatus est in Paridis impietate, iisque malis, quæ ipsius patriæ inde orta sint, ornate et graviter describendis. Denique quam sit fugax instabilisque vis ac potentia regum, in hac sæpius fabula præclare monetur, dum in iisdem carminibus beatissimam chorus prædicat tutam in rerum tenuitate ac prosperam civium conditionem. Facile autem ex ipsa rei natura sequitur, chorum in diverbiis cum Clytemnestra, Agamemnone, Cassandra etc. præsentes, gravissimique momenti res propius, ut ita dicam, respicere, in iisque perpendendis studiose esse defixum. Totius autem vitæ humanæ, rerumque ante gestarum diligens consideratio priorem fabulæ nostræ partem præcipue facit. Et quidem recte! Nimirum ne Agamemnon levis videretur, nulliusque ponderis homo, nec cæde eius, quasi fortuita, et magni non facienda, leviter modo afficeremur, debuit nobis Æschylus summam eius animi magnitudinem, fortitudinem, atque potentiam sub adspectum quasi subjicere. Quod ut poëta efficeret, sapienter choreutarum usus est cantibus, quibus ita nostri præparantur animi, ut nihil in posteriori parte tragoediæ improvisum inopinatumque acci-

dat. In his igitur cantibus ab initio tam est assiduus poëta, ut nisi uno choreutarum cum Clytemnestra diverbio (vers. 268—364), Talthybiique adventu, Trojæ nuntiantis devastationem (vers. 514 seqq.) prorsus non interrumpantur. Quibus cantibus id assecutus est Æschylus, ut jam ante adventum regis omnia, quæ ab Helenæ inde raptu domi forisque gesta sint, uno quasi obtutu liceat contueri.

Prologum speculator (φύλαξ) agit, qui in tecto domicilii regii excubans, signum observat flammæ, cladem Trojæ ab Ida Argos usque celerrime nuntiaturæ. De qua flammarum se vicissim excipientium serie inter Clytemnestram et Agamemnonem convenisse e vers. 325—26 manifesto apparet:

Τέκμαρ τοιοῦτο σύμβολόν τε τοὶ λέγω
Ἀνδρὸς παραγγείλαντος ἐκ Τροίας ἐμοί.

Hac itaque accepta Trojæ urbis devastatione, Clytemnestra, ut maritum suum splendide magnificeque excipiat, parare omnia atque instruere jubet. Quo jussu id unice spectat, ut hoc amplissimo apparatu fraudulentum ac dolosum mentis consilium tegat. Choreutæ interea carmina, de quibus jam dictum est, laudatissima illa canentes (vers. 40—267

365—499), semel tantum a Clytemnestra interrumpuntur, Græcorum victoriam referente. Quibus finitis cantibus, Talthybius scenam ingreditur (vers. 514), regisque annuntiato adventu, pauca, quæ proxime rem attinent, cum choreutis colloquitur. Quibus absolutis chorus novum exorditur atque sublimem cantum (vers. 692—792): quo finito, redux ipse in scenam ingreditur Agamemnon; cuius in comitatu Cassandra itineris et mox tristissimæ mortis socia oculis spectatorum objicitur.

Temporis, quam vocant, unitatem nemo est, quin videat Æschylum in hac fabula neglexisse. Troja enim expugnata, splendor ignis nuntium huius cladis affert celerrime, subitoque, eodem fere momento, Agamemnonem adspicimus ipsum domum revertentem. Quod si minus ab unitate temporis fortassis cui videatur abhorrere, tabulas geographicas ille velim inspiciat. Quod si fecerit, certe fatebitur, eam, quæ in hac fabula describitur, non corporum humanorum, et navium, sed phantasiæ celeritatem esse. Nec est silentio prætereundum (quod recte mihi videor observasse), principium tragoediæ huius ingenium quodammodo atque in-

dolem redolere artis, qualis multis post sæculis floruit, quamque, si modo verbo sit venia, romanticam appellamus. Quod autem illam per se ipsam temporis unitatem attinet, nemo certe harum rerum tam rudis est imperitusque, ut eam rejiciendam, dataque opera negligendam existimet. Immo etiam utraque cum temporis, tum loci unitas innata potius, ut ita dicam, græcæ Tragoediæ atque insita est. Sic enim simplex plerumque et nativa tragoediarum istius temporis ferebat indoles, ab ævi recentioris, quod vocant romanticum, ratione et indole diversissima. Quodvis autem ævum habet, quo glorietur, ut alio jam diximus loco: prudenterque cavendum, ne alterum alterius gratia posthabitum neglectumque deprimatur. Dissimillimi quidem inter se Sophocles et Shakspearius: sed uterque tamen suo in genere tam præclarus atque eximius, ut alter nullo modo debeat alterum in contemtum adducere: quod solet iuterdum stultitia hominum imperitorum fieri. Verum hæc ipsa, de qua nunc agimus, tragoedia esse documento potest, ipsos veteres nihil sanctius habuisse, quam interiorem operum suorum harmoniam, quæ ingeniosis cuiusvis ævi

poëtis summa lex semper fuit, et norma sanctissima. Sed ad nostrum revertamur propositum.

Facinus sibi fatale perniciosumque futurum Agamemnon jam pluribus abhinc annis commiserat (vid. sup.). Sed laudem sibi postea maximam fortitudinis prudentiæque rebus in bello gestis pepererat. Nostraque summa, quam illæsam et integram Æschylus conservavit, eius admiratio, multum augetur generosa potentissimi regis modestia, qua scenam ingressus illos Clytemnestræ uxoris suæ lautissimos apparatus sapientissime depreca tur (vers. 864 sq.). Nam humanæ imbecillitatis memor summam diis præstat pietatem ac reverentiam: Cassandramque, suam captivam, benigne et clementer curæ Clytemnestræ commendat. Hic tamen talis tantusque vir, cum expugnata Troja diriperetur, reverentiæ erga deos pietatisque tam fuit immemor, ut templa deorum atque altaria impie devastari pateretur (vers. 538 seqq.). Quod diligentius reputantes tristem sapientiæ prudentiæque hominum inconstantiam levitatemque non possumus, quin acerbe admodum lugeamus. Quem moerorem nostrum haud parum pia et justa Clytemnestræ vota

penetralibus nostras personans aures, horrore animos perfundit. Jam antea, cum senes Agamemnonem, ut cautionem adhiberet, monerent hortarenturque, futura nos mala animo præsagiebamus. Sed salutis minuta quidem, verum aliqua tamen spe hucusque erigebamur, nec senibus illis eo usque progressa res videbatur, ut jam ultima, sibique facile nocitura, cogerentur regis servandi causa experiri. Haud enim prævidere tam cito proruptura esse mala potuerunt: nec homines ad pericula aliorum salutis gratia subeunda facile conjunguntur. Dumque spes modo ulla adhuc sit reliqua, sperant vulgo, auxilium aliunde ortum miseris subvenire posse: nam plerique suæ tantum salutis memores, alios negligere solent. Vaticiniis vero Cassandræ metus, quo noster statim commovebatur animus, increscit semper vehementius. Postque ingressum fatidicæ virginis, quæ in mortem consulto irruit, lugubrem et ultimam audientes ejulationem regis (vers. 1354 et 1356), graviter contremiscimus.

In iis, quæ post hanc auditam morientis vocem proxime insequuntur (vers. 1355—1383), Æschylus excellenter mores descri-

sit vulgi, vehementissime exardescentis, sed in summo fervore nihil tamen agentis suscipientisque. Audito enim regis clamore, vi domum cogitant irrumpere, studioque eum ulciscendi flagrant. Ut solet autem fieri, si primum opportunitatis momentum otiose effluxerit, nihil homines agunt, sed, quid oporteat agere, sedulo deliberantes, in alias alii partes abeunt, de manibusque opportunitatem amittunt.

Perpetrato facinore, primum Clytemnestra, deinde Ægisthus, eius socius et adulter, summam suam publice profitentur impietatem sine omni verecundia, et sensu humanitatis. Populumque, nisi ipsorum serviliter obsequatur imperio, se crudelissime tractaturos esse minantur. Facinus autem, sub his incoeptum auspiciis, prosperum habere exitum nullo posse modo, certe jam auguramur. Qualis vero illa futura sit impiorum hominum, et unde exoritura vindicta, ex ultimis Cassandræ verbis, jam ante apparuit, vers. 1290—95:

Οὐ μὴν ἄτιμοί γ' ἐκ θεῶν τεθνήξομεν.
Ἥξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμάορος,
Μητροκτόνον φίτυμα, κοινάτωρ πατρὸς κτλ.

Choreutæ trepido anxioque metu dominorum cohibiti atque absterriti [18]), gravissimum suum dolorem indignationemque eo usque occultius tantum ausi erant et quasi e longinquo subindicare (vers. 493 seqq. et pass.). Nunc autem intimus justitiæ, humanitatis pietatisque sensus pavoris, quo lingva constricta tenebatur, vincula solvit. Tantaque offensi perfidia generosissimi senes in Clytemnestram, quæ primum publice prodit, ferociterque se jactat, acerbissimis invehuntur objurgiis convitiisque: quibus foemina impudentissima nihil tamen movetur. Sed tenax protervitatis atque audaciæ culpam criminis huius omnem in fata priorum temporum studet conjicere. Facinusque, quod nuper commiserat, justissimam, et ab Erinnya vehementer desideratam delictorum ultionem esse contendit. O hominum perversum ingenium! Impia et perfida uxor maritum ob impium factum capite plectit, filium a patria procul arcet, mentisque errore capta victricem præ se fert superbiam.

18) Conf. vers. 265—268. 559, 624—625. Conf. vers. 36—39.

Ægisthus tandem, nefarius homo, in scenam prodit: facinusque, cuius suscipiendi ipse auctor fuerat, sociusque, delicto ab Atreo in Thyestem olim commisso studiose defendere et excusare conatur. Erat enim e Thyeste natus Ægisthus. Sed pluribus prohibemur, ne huic multum petrocinio tribuamus: neque difficilis ad indagandum est vera cædis impiæ huius et propia causa. Quæ potius ad illicitos Ægisthi ac Clytemnestræ amores, eorùmque acerrimum pophlo Argivorum imperandi studium referenda mihi esse videtur. Quibus desideriis incensus malam struxerat ac dolosam fraudem Ægisthus, eamque ad perficiendam concitaverat Clytemnestram. Ipse vero providus callidusque omni se abstinuerat perpetrandi facinoris societate, ne præsentia sua, utpote qui esset a parentibus suspectus atque invisus, vers. 1648:

Ἐγὼ δ' ὕποπτος, ἐχθρὸς ἢ παλαιγενής.

Agamemnoni insidiarum ac fraudis suspicionem injiceret. Viri autem grandævi, nihil contumacia verbisque minacibus eius perterriti, in παῤῥησίᾳ ingenua, hominumque liberorum dignissima constanter obfirmatoque animo perstant. Ignaviam exprobrantes

acerbe ipsi objiciunt quod hostem non ausus sua manu occidere, muliere pro instrumento usus sit. Sed contra Ægisthus nec justis illorum opprobriis, nec ullo pudoris sensu vincitur: verum hac ipsa senum nobili et generosa fortitudine ad ferociorem semper iræ protervitatem exasperatur. Quæ usque tandem eo progreditur, ut vel ipsa mulier impudentissima Clytemnestra, ne quid mali ex tanto partium fervore oriatur, metuat. Intelligit tandem (nescio quid providens animo atque præsentiens), in rebus humanis tutum nihil ac firmum esse posse, nisi modus prudens et justus adhibeatur. Quæ eorumque similia monita, quibus Clymtemnestra animos litigantium conatur mitigare, finem faciunt fabulæ.

Quod locum proverbii obtinet: factum infectum fieri nequire, in hanc quoque rem optime verti potest. Nam detestandum, et nunquam audendum facinus sceleratissimi illi homines ausi erant: nec pedem, ut ita dicam, amplius licebat retrahere. Erinnyes, quæ impio nunquam debitam effugere patiuntur poenam, diras vindictæ faces in eorum jam capita vibrant. Orestem filium *Agamemnonis*, ultorem impietatis gravissi-

mum, natura et fato designatum, proditurum esse, jam ante est monitum. Quem juvenem nulli ad id usque tempus culpæ obnoxium esse, res unica est, quæ spem nobis aliquam qualemcunque præbeat, fore, ut diuturna atrociaque Pelopidarum mala faustiori tandem rerum statui locum cedant.

Ex hac apparet fabula hominem, qui grave atque horrendum commiserit delictum, a nostro non semper alienum esse favore. Quod arte et ingenio poëtæ assequuntur: præsertim si, scelere e conspectu quasi remoto longius, ipsum culpæ olim commissæ reum, nunc pium et generosum suoque supplicio istud facinus expiantem, nobis ante oculos sistant. Cuius rei pulcherrimum atque insigne documentum summus Daniæ ingeniosissimusque poëta Oehlenschlægerus in præstantissima tragoedia Starkathero nobis exhibuit.

De Cassandra, ex Priamo rege nata, pauca addere restat. Qua virgine nescio, an alia esse poterit nulla persona ad animos permovendos apta magis atque composita. Apollo ipsam insigni ornaverat vaticinandi facultate; verum ut frustatum ulciscereturamorem, constituerat idem, ut Cassandra

futura frustra semper prædiceret, nec unquam hominibus de suis persuaderet oraculis. Quod ita evenisse quoque memoriæ est traditum: nam vates tristium fatorum Trojæ verissima, spreta atque neglecta miseram sine fide et auctoritate vitam trahere cogebatur: et, capta urbe, cum multa præda Agamemnoni veniebat. Quem supra jam vidimus Clytemnestræ captivam virginem humaniter commendasse. Quo facto Agamemnon domum intrat (vid. sup.); pauloque post Clytemnestra apparens, Cassandramque, ut domum socia regis ingrediatur, acribus conatur verbis impellere (vers. 1043 seqq.). Verum animi generosi atque excelsi virgo currui quasi inhærens, quo vecta venerat, immota manet, et Clytemnestræ ne verbulo quidem respondet. Quæ graviter offensa, ne infra dignitatem suam agere videatur, in domum cito se recipit. Sola deinde cum senibus Cassandra in querelas valde lugubres erumpit (vers. 1077 seqq.): divinis imaginibus ipsius animo obversantibus vehementissime concitatur, de suoque et aliorum fatis oracula gravia ac sublimia fundit. Thyestis filii, quos trucidaverat olim Atreus, tecto [illegible]tidentes medium, visuque horribiles ipsi

apparent. Ægisthus, quasi imbellis leo se in lecto absentis mariti volutans, nec non Clytemnestra, similis leænæ bipedis, cum lupo concumbentis, ipsius oculis obversantur. Quibus pluribusque eiusdem generis visis mirifice concitata in sublimia vates fertur. Accurate omnia, quæ ab antiquissimo inde tempore in stirpe Argivorum regia evenerint, recensens, suam fidem auctoritatemque firmiter probat. Nec in his subsistit: sed facinus, quod in imis ædium penetralibus hoc ipso momento scelerati et perfidi moliuntur, tanta arte describit, et tam ingeniose, ut hæc ipsa cædes abominanda detestandaque ante oculos quasi peragi, et sub aspectum subjici videatur. Qua illustri et magnifica descriptione id Æschylus assecutus est, ut ad ea, quæ proxime insequuntur, sine offensione legentium progredi posset. Quid multa? futuri quoque temporis fata virgo sapientissima alte rimatur: nam ultionem, de qua jam diximus, haud dubie secuturam esse certo et confidenter pronuntiat (vers. 1290 seqq.). Mortis denique jam propinquantis præscia, ornatum sacerdotalem dilacerat: perceptoque ex imis penetralibus, quasi a sepulchris, foedissimo odore

ad exitum tandem rem festinare intelligit. Senes Argivos generositatis suæ testes constituit: solemque invocat, ut cædium vindictam adjuvet. Quibus peractis, humanarum rerum graviter deplorans miserandam conditionem, Cassandra, vehementissimo furoris impetu concitata, in domum sibi fatalem irruit.

Artificiosa rerum gravissimarum compositione, morumque subtilissima descriptione hæcce dignissima est fabula, quæ ad monumenta præstantissima et maxime illustria græci ingenii referatur. Non hic vero est locus omnia accurate, et ita, ut nihil relinquatur, explicandi: quod omnino fere nequit fieri. Ex nulla enim magis re, quam e studio magnorum poëtarum intelligi potest, ingenuas liberalesque artes fontem esse quasi perrenem, qui nunquam penitus humana meditatione poterit exhauriri.

Choëphori.

Ab inferiis, quas Clytemnestra, quodam perterrita somnio, Agamemnoni offerre Electram cum choro virginum jusserat, hæc fabula nomen ducit. Ab Orestis reditu in patriam incipit; primoque, post matrem cæsam, furoris impetu finitur. Clytemnestram mulierem, justas reddere poenas, jam ante monitum est: et pluribus in hacce fabula argumentis data opera comprobatur. Quæ argumenta omnia ordine recensere non huius est loci: sed pauca tamen, quæque gravioris momenti esse videantur, afferam. Cuiusmodi sunt Orestis animo ab Apolline admoti stimuli ultionis: illiciti foedissimique amoris Clytemnestræ atque Ægisthi perscriptio: inhumana et dura matris in liberos crudelitas: jactura quam Orestes fecerat, imperii divitiarumque paternarum: crudelissimum hominum impiorum in Argivos imperium, et eiusdem generis alia. Orestes itaque gravissimis inductus rationibus patrem ulciscitur: verum sanctissimam naturæ legem, pietate erga matrem neglecta, violat. Cuius facinoris gravissimam poenam nulla potest ratione effugere. — Trilogiam, cuius

media pars hæc fabula est, sita conjunxit Æschylus, disposuitque, ut harmonia rerum gestarum sit effecta mirabilis et prope singularis. Nam ab altera parte, ut in his subsistam; digna quidem Clytemnestra supplicio, quo affligitur, apparet; sed odium, quo eam prosequimur, subtili arte Æschylus lenivit et mitigavit, ne a sensu eius tristissimæ mortis prorsus abalienaremur Ab altera autem parte Orestes fatali quadam sorte impulsus matrem occidit; verum tam integer, generosus, nullis malis artibus imbutus describitur, ut per omnia fata doloris miseriarumque sincerrimi socii ad ultimam facinoris expiationem eum prosequamur.

Fateor autem fabulam, quæ Choëphori inscribitur, cum Agamemnone Eumenidibusque non comparari posse, sed longe mihi inferiorem videri. Vestigia enim haud pauca artis minus perfectæ, animadverti: quorum nonnulla postea afferram, ne tantum videar poëtam temere atque imprudenter vituperare. Dixerit vero quispiam, mirationem id sibi facere, nec posse se intelligere, unde fiat, ut hæcce tragoedia, inter Agamemnonem Eumenidasque media, eodemque (sic enim videtur) tempore facta, earum tam sit dissimilis,

præstantiaque iis longe inferior. Quæ una fere omnium difficillima est quæstio.

Æschylus atque Euripides in comoedia Aristophanis, quæ inscribitur Ranæ (Βάτραχοι), præside Baccho, nobile committunt certamen ingenii. Quo in certamine Euripides provocat Æschylum, ut primum versum Orestiadis recitet (vers. 1155):

Πρῶτον δέ μοι σὺν ἐξ Ὀρεστείας λέγε.

Omnes igitur exspectamus, primum versum ex Agamemnone Æschylum allaturum esse: qua exspectatione frustrati, jure miramur, illum recitare Choëphororum initium. Ad quam rem explicandam scriptores omnes antiquitatis frustra pervolvuntur. Ne Aristophanea quidem scholia, quibus multa tamen insunt utilia ad græcam antiquitatem accuratius cognoscendam, aliquid habent, quo hæcce res ad liquidum perduci et illustrari possit. De alia quidem sed nullius momenti quæstione, in scholiis refertur, veteres grammaticos dissensisse. Orestiadem enim alii conjunctam cum Proteo Tetralogiam, alii eandem ab hoc sejunctam satyrico dramate Trilogiam esse opinabantur. Sed harum opinionum, quænam sit præferenda, nostra parvi

admodum refert. Historicis itaque testimoniis et argumentis destituti lubricam conjecturarum viam audacius ingrediamur. Jam supra monitum est, historicum in Trilogia nexum non semper obtinuisse: eandemque Trilogiam varias diversique argumenti fabulas sæpe esse complexam. Unde apparet, dramata, in quibus res serius gestæ tractantur, prius esse posse conscripta, quam eiusdem argumenti alia, in quibus res ante gestæ contineantur. Constat præterea Græcorum licitum fuisse poëtis eandem fabulam sæpius in ludis ipsorum scenicis repetere. Quando igitur eveniret, ut brabeutis populoque quædam fabula displiceret, poëta retractatam eam nonnunquam publice repetebat. Quo facto, prior editio in oblivionem plerumque abibat, eiusque ne memoria quidem ad posteros perveniebat. Quibus ita monitis ad institutam disputationem revertamur, eaque, quæ diximus, in Orestiadem transferamus. Æschylum Agamemnone, Choëphoris, Eumenidibus, nec non Proteo, satyrico-dramate, gloriosam victoriam Olympiade octogesima consecutum esse, e testimoniis scriptorum veterum constat. Harum vero tragoediarum utrumne una, an plures, aut forte nulla se-

paratim ante id tempus publice docta fuerit, ne verbo quidem in scholiis didascaliisve commemoratur. Quod vero de Orestiade refertur, Ol. LXXX docta, per se haud dubie verissimum est: sed rationibus inductus satis, ut mihi videtur, firmis atque idoneis, hoc testimonium eiusmodi esse censeo, in quo haud satis tuto et unice liceat acquiescere. Præsertim cum illæ, quas attuli, quæstionis huius difficultates hoc antiquitatis testimonio non removeantur. Ab omni enim abhorret fide verique similitudine horrendum illum tumultum ac trepidationem, quam ortam in theatro esse, cum Eumenides publice agerentur constat, eodem tempore evenisse, quo inclytam et celebrem victoriam Ol. LXXX Æschylus adipisceretur. Immo etiam prorsus absurdum mihi esse videtur credere, Athenienses poëtam, qui tantam ipsis injecisset formidinem, in eodem mox certamine fuisse coronaturos. Unde tumultum illum cum hac victoria nullo modo conjungendum, sed ad aliud quoddam tempus referendum esse conjicio. Quibus concessis, efficitur Eumenidas bis doctas fuisse, (quod Boeckhius quoque probat); et vice posteriori multum mutatas, ne iterum poëta in odium

offensionemque civium incurreret. Æschylum, natu jam grandiorem, a Sophocle juvene victum esse in ludis scenicis Ol. LXXVII constat. Quam poëtæ, multis jam ornati victoriis, cladem ac gloriæ laudisque jacturam secum conjuncta quædam incommoda habuisse, e locis veterum quibusdam licet conjicere. Quibus incommodis ad certamen Æschyli cum Sophocle (Ol. LXXVII) relatis [19]), haud suspicor nostram vehementer improbaturos esse sententiam, si Eumenidas prima vice doctas esse eodem tempore statuamus, quo a Sophocle victoriæ palma Æschylo præriperetur [20]). Quod autem probabile sit in hac re conjecturam potius sequens, quam confidenter affirmans, hanc non acriter sententiam urgeo: verum id unum sine ulla ausim dubitatione asseverare, Eumenidas Choëphorosque, a qua fabula sejuncta illa rerum gerendarum justo careret

[19]) Conf. quæ supra de profectione Æschyli in Siciliam, de tumultu, cum Eumenides docerentur, in theatro orto, et de ruina subselliorum sunt disputata.

[20]) Conf. Boeckhius l. c. pag. 40.

initio [21]), in certaminibus Tragicorum diverso tempore bis doctas esse: et prima vice sine succesu. Cuius cladis præcipuam fuisse causam Eumenides non temere, ut mihi quidem videtur, conjicio. Haud nobis igitur mirabile videatur, nobilissimum poëtam, ea præsertim, quæ illius cladis fuerat causa, retractata fabula, et publice repetita, voluisse sibi illatam illam rursus depellere ignominiam. Quapropter vero spatium annorum satis multorum, ab Ol. LXXVII ad LXXX fuerit interjectum, nequit nunc accuratius definiri. Nec in hac re explicanda nimis est laborandum: nam e levissimis causis res sæpe gravissimæ oriuntur. Verum aut me conjectura egregie fallit, aut hæc temporis tam longa dilatio ad Æschyli in Siciliam profectionem, de qua jam disserui, est referenda. Hoc tamen loco de temporum limata notatione minus solliciti, id satis habemus scire, Choëphoros Eumenidasque

21) Boeckhius l. c. pag. 45: "Notes autem, ait, nostram Eumenidas non posse absque Choëphoris editam fuisse, quod huic fabulæ arctissime junctum est Eumenidum principium, neo apte intelligi poterat, nisi ea prægressa". Conf. Arist. A. P. cap. VII.

bis Æschylum docuisse. Nam in hacce re quæstio hæc nostra inprimis est posita. In Eumenidibus enim mutandis emendandisque curam præcipue atque animi intentionem Æschylus collocabat: nam hanc fabulam docens in odium gravissimum civium suorum pervenerat. Fabulam vero Choëphoros, quæ nullum attulerat poëtæ incommodum, sine mutatione talem fere, qualis fuerat ab initio, repeti eum jussum esse, perquam verisimile est. Unde quodammodo apparet causa dissimilitudinis, quam esse inter Choëphoros Eumenidasque diximus.

At vero nondum perspicimus, qui fiat, ut apud Aristophanem primi versus in Choëphoris tanquam primi in Orestiade, quo nomine tres omnes fabulæ vulgo comprehenduntur, afferri possint. Nec prodit ratio, cur maior sit inter sese Agamemnonis Eumenidumque, quam harum utriusque cum Choëphoris similitudo. Qua in re nulla ratione inducere me animum posse confiteor, ut credam, Æschylum, si tres omnes eodem tempore fabulæ conscriptæ essent, Agamemnonem postea et Eumenidas, tertia quoque quæ inter illas media esset, prorsus intacta, fuisse emendaturum. Nec ipsæ, quantum

equidem video, fabulæ, nec scriptorum veterum testimonia ullum suppeditant argumentum, cur talis Agamemnoni potius, quam Choëphoris, in corrigendo emendandoque cura impenderetur. Quam difficultatem, si Choëphoros Eumenidasque, sejunctas ab Agamemnone spectas, nullam esse, ex iis, quæ nuper disserui, satis suspicor elucere.

In ipso igitur cardine disquisitionis omni destitutus testimoniorum auxilio, meam proferam conjecturam, qua spero fore, ut dissimilis harum fabularum indoles, et de principio Orestiadis quæstio quodammodo illustrentur. Ad quam illustrandam confirmandamque meam sententiam opus est, breviter eorum, quæ nuper sunt disputata, summam repetere.

Æschylus jam ante Ol. LXXX Choëphoros Eumenidasque docuit. Nos autem cum tempus, quo id factum sit, tum quamnam tertiam fabulam illæ adjunctam sibi habuerint, ignoramus. Quod vero tempus attinet, id factum esse existimo Ol. LXXVII, cum Æschylus in certamine scenico a Sophocle vinceretur. Quo facto, auctor per aliquod spatium temporis, nescio quam ob causam, has emendandi fabulas repetendique

distulit consilium (conf. sup.). Tandem vero fabula Eumenidibus diligentius emendata, prudenter Æschylus cavit, ne, nimis indulgens fervori ingenii, novis afficeretur incommodis. Altera vero fabula Choëphori aut nihil omnino, aut non multum mutata Ol. LXXX simul cum cæteris docebatur. Ut vero perfectiorem redderet, suisque omnibus numeris hunc tragoediarum cyclum absolveret, Agamemnonem, tragoediam pulcerrimam præstantissimamque adjunxit. Quam non diu ante Olympiadem LXXX, aut certe post Ol. LXXVII conscriptam esse [22]), licet ex ipsius longitudine suspicari. Cæteræ enim, quas habemus, tragoediæ Æschyli breviores sunt, hæc vero una cæteris longior, Sophocleas fabulas numero versuum æquat [23]). Nam Sophocles haud semper trilogiis, sed singulis plerumque aut sæpe dramatis certans [24]), longiores conscripsit fabulas. Quem Æschylum, ne videretur ab

[22]) Conf. quæ supra de circumscripto choreutarum numero disputavi.

[23]) Vid. Dahlmannum l. c. pag. 22 not. 23.

[24]) Boeckhius l. c. pag. 104 seqq.

hac parte inferior, in ultimis suis dramatibus esse imitatum est verisimle.

Hac igitur posita fabularum harum origine, causam denique rationemque percipimus, cur Agamemnon, eodem tempore scripta, quo fabula Eumenides emendaretur, huius quam Choëphororum, similior sit. Hæ autem tragoediæ, Agamemnon, Choëphori Eumenidesque, quibus Ol. LXXX vicit Æschylus, Orestiadis postea insigniebantur nomine. Ante vero hoc tempus, dum nondum Agamemnon exstaret, Choëphori et Eumenides ita fuerant optimo appellatæ jure. Nam Orestes in Agamemnone omnino non apparet; sed eius modo fit mentio, ut absentis, sed non ita multo post redituri hominum facinorosorum ultoris. Sic itaque aucto tragoediarum numero, vetus illud Orestiadis nomen a duabus in tres omnes translatum est fabulas. Qua ratione est factum, ut ab hoc tempore Orestiadis nomine Agamemnon, Choëphori atque Eumenides comprehenderentur. Verum in rebus eiusmodi non raro usu venit, ut antiquæ vocabulorum significationes cum ipsis rebus mutatis non subito confestimque mutentur, in oblivionemque amandentur. Nam homines vetustis,

quasique inveteratis, sæpe utuntur vocabulorum significationibus: quod ita quoque arbitror evenisse in hoc nomine Orestiadis. Aristophani itaque præsertim, cum poetice, non critice loqueretur, antiquum illum, nondumque prorsus exoletum, loquendi usum licuit usurpare. Verum de his rebus hæc sufficiant: nunc reliqua persequamur.

Jam dixi Choëphoros præstantia non æquare duas alteras eiusdem trilogiæ fabulas, Agamemnonem et Eumenidas. Quæ res eiusmodi quidem est, ut disputando penitus non possit exhauriri: sed magna pars ad sensum lectoris atque intelligentiam debeat relegari: cui aliquid semper in eiusmodi rebus relinquere vel peritissimi coguntur artium liberalium existimatores. Verum tamen, ne cupide inconsiderateque videar disputare, ea sunt proferenda, quæ ad meum judicium comprobandum maxime profutura esse mihi videntur.

In Agamemnone tanta arte sunt omnia præparata (vid. sup. ad Agam.), ut Æschylus, missis ambagibus, nunc ad ipsam rem aggredi potuisset. Verum nihilo tamen secius in plus quam dimidia Choëphororum parte nihil prorsus agitur: sed cantibus ac collo-

quiis choreutarum ad rerum postea gerendarum intelligentiam nostri animi præparantur. Nam eorum pleraque, quæ in Agamemnone diligenter exposita, accurateque perscripta sunt, in Choëphoris nunc denuo diligentissime perscribuntur. Haud sum equidem nescius, in gravissimis momentis Tragicos Græcorum nonnunquam consistere, iisque describendis, artisque atque ingenii luminibus quasi distinguendis, magnopere delectari. Verum in hoc tanto rerum discrimine, cum, quæ dicuntur, omnia, aut pleraque saltem in superiori fabula jam exposita explicataque sunt, longissimæ, quæ interponuntur, moræ vituperandæ, dignæque reprehensione mihi esse videntur. Hoc tamen ipsum, quantum ad sententiam meam de Orestiade comprobandam faciat, facillime potest perspici. Dum enim nondum exstaret Agamemnon, hæc rerum gerendarum prolixior descriptio in Choëphoris necessario requirebatur: deinde vero, fabula Agamemnone adjuncta, prorsus inutilis est facta et supervacua.

De cincinno Orestis, pedumque eius Pyladisque vestigiis, sententiis aliorum examinandis dijudicandisque equidem superse-

dens, dicam, quid ipse judicem, aperte et sine partium studio. Cincinnus, quem Orestes cum Pylade post reditum suum, patris manibus consecraverat, quemque Electra, jussu matris inferias offerendi causa ad tumulum patris cum ancillis conveniens, adspicit, tantam facit mirationem virgini, ut eum fratris dilectissimi esse, confestim suspicetur. Eodemque in loco duorum hominum vestigia animadvertens, alterius cum suis comparata Orestis, alterius comitis alicuius esse animo præsagit. Hæc vero subabsurda esse videtur suspicio: nam multorum hominum mensura pedum, multorumque capilli sunt similes: Orestemque præterea annis abhinc pluribus Electra non viderat. Postea autem multo magis subit Electram demirari, quæ signis valde obscuris incertisque nuper freta, nunc vix aut ne vix quidem adduci potest, ut Orestem re vera apparentem, et quis sit, aperte significantem, agnoscat. At tamen negari nequit, illam capillorum pedumque comparationem nunc, in conspectu adstante Oreste, multo commodius faciliusque posse institui. Quod bene quoque Orestes sentiens talem inconstantiam animi sorori suæ exprobrat (vers. 222—229).

At forte dixerit quispiam, Electram subito inopinatoque adventu fratris sui graviter commotam obstupefactamque non statim posse eum agnoscere. Ad quam respondeo sententiam, Orestem, acceptis illis præsentiæ eius signis, non adeo inopinato, præterque omnem exspectationem Electræ obviam se offerre. Quod utcunque sit, concedatur tamen oportet, totum hominem, et coram in conspectu adstantem, facilius posse agnosci, quam singula incertaque indicia, cuiusmodi sunt capilli capitis, pedumque vestigia. Sophocles in pulcherrima fabula Electra magis decore digniusque Orestis atque Electræ agnitionem descripsit. Id vero omnino reputes velim, meam reprehensionem, quæ talis est, ut sentiri facilius, quam demonstrari possit, artem poëtæ, et harum rerum, ut ita dicam, tractationem poëticam magis, quam rem ipsam, argumentumque, in quo tractando Æschylus versatur, attingere. Nam magni et ingenio excellentes poëtæ in rebus sæpe levissimis, et a poësi, ut videtur, alienissimis, tanta tamque eximia sæpe utuntur arte, ut rerum prorsus obliti levitatis, in earum, tanquam gravissimarum, summam admirationem abripiamur. Cuius rei docu-

cumenta apud optimos omnium gentium poëtas exstant innumerabilia [25]).

Orestes, vers. 511 seqq., de inferiarum quas Agamemnoni afferri viderat, causa scisciatur:

. . . . πυθέσθαι δ' ἡδέν ἐστ' ἔξω δρόμου,
Πόθεν χοὰς ἔπεμψεν, ἐκ τίνος λόγου κτλ.

Attamen e vers. 18—19 et 30 seqq. apparet, Orestem consilii, quo illæ sint missæ inferiæ, non esse ignarum posse. Nam vers. 18—19 Orestes, appropinquante virginum caterva, in qua Electram sororem suam statim agnoscit [26]), (quod velim animadvertas), Pyladem, amicum suum fidumque comitem, hortatur, ut secedentes de via, causam pompæ huius, consiliumque certo (σαφῶς) comperiant:

Πυλάδη, σταθῶμεν ἐκ τοδῶν, ὡς ἂν σαφῶς
Μάθω γυναικῶν ἥτις ἥδε προστροπή.

Deinde vero, vers. 30 seqq., reginam, visis somniorum exterritam, has inferias misisse, ut manes Agamemnonis expiaret, claris et

[25]) Vers. 202—207, nec non vers. 284 Æschylo abjudicare, vereor, ne harum rerum intelligentibus cupidius, quam verius fieri videatur.

[26]) Conf. vers. 14—15.

perspicuis verbis chorus pronuntiat. Ex quibus apparet locis, Æschylum, cum ignarum causæ horum sacrificiorum Orestem (vers. 511 seqq.) fingeret, non satis in eo caute consultoque esse versatum.

Nec minus vituperatione digna quædam esse videntur dicta nutricis ex. grat. vers. 751—756. Nam Æschylus, ut hominum istiusmodi imaginem ad naturæ similitudinem proxime accedentem delinearet, gravitatis Tragoediæ dignitatisque prorsus oblitus est.

Quæ Orestes et Clytemnestra, vers. 889—931, inter se colloquuntur, haud sunt digna, quæ cum aliis tam gravis argumenti locis apud Æschylum comparentur. Inprimis autem acerbissimæ cavillationes, verborumque contumeliæ, quibus post cædem matris in ipsam Orestes invehitur, ab hoc loco alienæ sunt existimandæ. Haud quidem negem, interdum in tragoediis maximorum poëtarum fieri, ut in casos homines eorum interfectores, gravissimis commoti affectibus, sui non compotes, acerbius contumeliosiusque invehantur. Verum hæc mortuos tractandi ratio feram atque immanem barbarorum magis referre, quam generosorum ho-

minum indolem plerumque mihi videtur. Quod silentio non prætereundum esse putavi: cum præsertim tam nobili ac generosa cæterum sit indole Orestes, ut ipsi dei, Minerva atque Apollo, gravissimis eum malis liberare haud postea dedignentur. Denique Orestes, nondum corruptus furore atque insania (vers. 1029), diras horrendasque Apollinis minas, quibus impulsus ultionem susceperat, nunquam se esse proditurum sancte affirmat. Verum jam antea (vers. 277—293) oraculum Apollinis, eiusque minas fusius ipse et data opera explicavit. Qua in re non bene Orestem sibi constare videmus.

Hæc omnia, quæ pluribus augeri facile possent, haud ita magni fecissem, nisi huic in universum dramati non tantum, quantum optimis poëtæ huius tragoediis roboris inesse ac nervorum mihi videretur. De cuius meæ sententiæ veritate suum cuivis sensum haud equidem dubitanter confido persuasurum esse. Quid vero causæ sit, cur Æschylus, tam provectus ætate, drama talibus deformatum vitiis composuerit, nec docet historia, nec ea de re probabilem possum facere conjecturam. Quod quamvis se ita habeat, mediocres tamen vel sine vitiis poëtæ

pulcritudinem fabulæ huius ac præstantiam nunquam assequentur. Verum in his subsistamus, argumentumque breviter tragoediæ huius subjungamus.

Incipit fabula Choëphori ab ardentissimis precibus Orestis, quem olim vita, nunc patria privare Clytemnestra enixe studuerat [27]. Hic vero juvenis, post mortem patris sui, cum Pylade reversus in patriam, duos cincinnos comæ, unum Inacho fluvio, alterum Agamemnoni sacrat. Mox Electram, quæ lugubri habitu induta, ancillarumque caterva stipata, cum sacrificiis ad tumulum patris appropinquat, conspiciens, earum fugit conspectum, ut ex iis causam, cur veniant, ipse et Pylades in occulto audiant. Deinde illarum virginum chorus scenam ingreditur: in penetralibus domus regiæ voces male ominantes noctu exaudiri: et Clytemnestram visis somniorum, interpretationibusque fatidicorum pertimefactam, has ad

[27]) Initium fabulæ huius in Codd. Æsch. non exstat, sed nobis servavit Aristophanes in Ranis. Est vero hoc ipsum initium, ut alia quoque multa in hac fabula loca, mutilum corruptumque.

cæsi mariti tumulum misisse inferias, ipse graviter commotus narrat. Quarum virginum nos vicem luctumque una dolemus; ex ipsarum etenim ore percipimus, libera atque ingenua stirpe natas in duram dominorum crudelium, Clytemnestræ atque Ægisthi servitutem esse redactas. Est vero nihil visu tristius, quam hominum generosorum, olim felicium, nunc nulla promerita culpa misera vitæ conditio. De his autem ipsis virginibus est magna inter eruditos, et vix unquam concilianda controversia. Nam pendet unice hæcce res ex varia vers. 72—74 explicatione:

Ἀνάγκαν γὰρ ἀμφίπτολιν
Θεοὶ προσήνεγκαν· ἐκ γὰρ οἴκων
Πατρῴων δούλιον ἐσάγαν αἶσαν.

Plerique (ut Stanleius Ed. Æsch. pag 815) has virgines ex Troja s. ex alia quadam urbe esse Argos abductas opinantur. Quæ præsertim nititur sententia voc.: ἀνάγκαν ἀμφίπτολιν o: necessitatem, quæ urbibus captis bello injungitur. Canterus autem easdem indigenas suspicatur esse, ex paternis ædibus a Clytemnestra Ægisthoque abreptas, ut eorum subjectæ imperio, ipsis administrarent. Cui interpretationi nihil obstat, nisi vulgaris illa

vocis: ἀμφίπτολιν explicatio, quæ tamen haud adeo certa est, ut omnis tollatur sententiæ Canteri probabilitas. Hanc enim ἀνάγκαν ἀμφίπτολιν licet interpretari quoque de necessitate (ɔ: servitio), quam Argivorum urbi injunxerant Ægisthus et Clytemnestra. Verum incerto hæc est quæstio, et in ambiguo potius relinquenda.— Electra nullo modo potest inducere in animum, ut pro salute hostium iram inferorum precibus sacrificiisque expiet; puellasque ad hanc rem serio consultandam provocat. Quod dum agunt, Orestes in occulto omnia audit: ipsasque comperit nihil ardentius et magis enixe optare, quam ut ipse, quem procul abesse putant, impietatis ultor et vindex revertatur. Quo in sermone vehementissimus animi Electræ motus brevibus, assidueque abruptis interrogationibus apte significatur. Tandemque monitis puellarum impellitur, ut, matris mandata negligens, amicis bona, hostibus mala imprecetur. Quæ Electræ preces nos nihil prosperi de Clytemnestræ atque Ægisthi rebus jubent sperare. Deinde, dum virgines canunt, Electra inter sacrificia peraganda cincinnum capitis, hominumque vestigia, de quibus jam ante dictum est, ani-

lide persuadent, ut solum et sine comitibus eum adducat; speratisque forsitan meliora esse eventura significant. Iterumque post huius abitum deos, ut prosperum successum largiant Oresti, supplices hæ virgines implorant (vers. 779—835). Quo ipsarum finito cantu, Ægisthus tandem in scenam prodit (vers. 835), addubitans quidem de veritate nuntii: sed chorus eum impellit, ut ex hospite, utrumne vera, necne referat, ipse sciscitetur. Quod cum ita facturus domum ingreditur, virgines illæ gravissimis commoventur affectibus: nam ex eventu huius incoepti sortem unice pendere stirpis Agamemnonis bene intelligunt. Clamoremque hominis flebiliter vociferantis audientes, sed de eventu adhuc incertæ, paulo recedunt: ne si Orestes forte occubuisset, suscepti facinoris ipsæ consciæ viderentur. Sed hac statim liberantur formidine. Ægisthum enim occisum esse querelis lamentisque famuli, foras prorumpentis, edocentur (vers. 872). Clytemnestra, cuius de salute servus ille sollicitum se præbuerat, nunc apparens (vers. 882) e paucis eius verbis:

Τὸν ζῶντα κταίνειν τοὺς τεθνηκότας λέγω

callide, quid sit actum, suspicatur: secu-

rimque sibi dari jubet, ut pro virili se parte contra filium defendat. Orestes vero cum Pylade, inermi præsidiisque nudæ matri supervenit: et regina, olim superba ac valde petulans, minacibus eius verbis exterrita, nunc supplex eius implorat misericordiam. Quas submissas matris, quamvis impiæ, preces aliquid ponderis non posse non habere ad animum permovendum filii, omnes intelligunt. His ergo precibus Orestes quodammodo emollitus ad Pyladem se convertit consilium expetendi causa. Hic vero amicum suum per Apollinem obsecrat atque orat, ut erga deos servet pietatem:

Ποῦ δῆτα λοιπὰ Λοξίᾳ μαντεύματα
Τὰ πυθόχρηστα; πιστὰ δ' εὐοκώματα;
Ἅπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον.

Quo accepto responso, intelligit Orestes matri parcentem, eiusque precibus præbentem aures, se Apollinis patrisque iram sibi concitaturum esse; eamque post longa diverbia intro per vim rapit, ut eodem, quo Ægisthus, loco et ipsa trucidetur. Quod et Orestis et Clytemnestræ colloquium a Sophocle est omissum: cuius in fabula Clytemnestra semel tantum apparet, cum Electra colloquens. In qua re Sophoclem multo pruden-

tius quam Æschylum esse versatum mea fert opinio: nam in omnibus artibus ob ea, quæ omittunt, artifices nonnunquam magnopere sunt laudandi. Chorus, qui Græcorum more semper in scena remanet, Orestem, utpote justum et severum impietatis vindicem, instar solis patriæ prædicat, lætusque sperat fore, ut hic feliciorem statum rerum jamjam sit revocaturus (vers. 932—969). Deinde Orestes (vers. 970 seqq.) facinore perpetrato, Clytemnestram atque Ægisthum, quorum corpora per reclusas januas publice ostendit, acerbe dictis, contumeliis, objurgationumque aculeis aspere vehementerque incessit. De qua mortuos tractandi ratione jam ante dixi. Instrumentum præterea artificiosum, quo impeditum et quasi irretitum necaverant Agamemnonem, exhibet conspiciendum. Et recte quidem; quo enim foedior illa cædes apparet: eo facilius quoque hoc facinus ab Oreste commissum probamus, aut saltem excusamus. Quod quamvis ita sit, nihilo tamen minus illa Orestis in matrem nuper cæsam dicteria reprehendimus. Quo circa magis tranquilla ac sedata, quæ deinde sequitur, impietatis perfidiæque vituperatio, *multo* magis nostros flectit commovetque

animos (vers. 1018 seqq.). Chorus vero Orestem hoc, quamvis justo, facinore sanctam naturæ legem violasse intelligit: anxiusque nihil prosperum ominatur (vers. 1004 seqq.) Quin ipse Orestes (l. c.) impetum furoris atque insaniæ jamjam ingruentem animo præsentiens, dum mentis adhuc est compos, justum se et patriæ admodum salutare facinus commisisse pronuntiat. In quo tanto rerum suarum discrimine, quod instar tranquillitatis fluctuum tempestatem portendit gravissimam, tuetur se ac defendit Apollinis auctoritate. Ad cuius templum, sacrum orbis terrarum umbilicum, se habitu indutum supplicis properaturum esse declarat, ut effugiat ultionem, mentisque anxia liberetur sollicitudine. Mox vero Furiarum (quæ græc. Εὐμένιδες s. σεμναὶ θεαὶ vulgo appellantur) visu graviter perturbatur atque horrescit (vers. 1045 seqq.), nec valde amicis puellarum monitis eius sedari ac tranquillari animus potest. Sed furore correptus atque insania a diris visuque horrendis (vers. 1055 seqq.) illis sororibus ex patria miser juvenis expellitur. Cui aufugenti benignæ virgines acclamant:

Ἀλλ' εὐτυχοίης, καὶ σ' ἐποπτεύων πρόφρων
Θεὸς φυλάσσοι καιρίοις ἐν συμφοραῖς.

Quibus ita peractis, finem facit tragoediæ huic brevis (vers. 1062—1073) puellarum cantus, in quo atrocia deplorantes mala huius familiæ, sollicite quærunt, quando illa quasi tempestas malorum miseriarumque desæviat, et remissa tandem requiescat.

Spem vero nobis solatiumque præbet bona, firma atque invicta ipsius Orestis conscientia de innocentia. Quam eius animi fiduciam, longe ab impietate petulantiaque remotam, in jussu auctoritateque Apollinis unice repositam videmus esse. Hac igitur quodammodo erecti spe ad ea, quæ reliqua sunt, explicanda progrediamur.

Eumenides.

Fuit apud Græcos in more positum, ut a choreutis frequenter dramata poëtæ denominarent, quod sæpe factum esse videmus, ut in Choëphoris, Trachiniis, Ranis, Nubibus, aliisque multis, nec non in hac nostra pulcherrima fabula, quam optimo jure viri eruditi, ingenuarumque artium periti semper magnopere admirati sunt. — A mythologia, qualis ferebatur in poëtarum antiquissimorum carminibus, argumenta fabularum Tragicos plerumque repetivisse, res est notissima. Quem morem Æschylum in fabula: Persis deseruisse jam ante ostendi; et in ea, de qua nunc tractamus, tragoedia argumenti inventionem poëtæ deberi nomini, manifesta evincunt didascaliarum verba: παρ' ἑδε-τέρῳ κεῖται ἡ μυθοποιΐα.

Orestem rerum suarum tam iniqua conditione nuper vidimus laborantem, ut de eo, si sibi soli, aliorumve hominum relinqueretur auxilio, omnis spes foret utique abjicienda. In Apolline autem spem suam unice reponit, eiusque atque Minervæ fortiter adjutus auxilio, cædis maternæ liberatur piaculo. Quæ tamen culpæ liberatio nec facile,

nec nullo negotio peragitur: nam illæ, ut verbis Ciceronis utar, speculatrices et vindices facinorum et sceleris, Eumenides tam acriter poenas miseri persequuntur juvenis, ut flecti ad misericordiam nulla ratione posse videantur. Earumque maxima est vis ad terrorem nostris animis gravissimum incutiendum. Æschylus enim non verbis tantum gravissimis eas adumbravit designavitque, sed illas ipsas veteris noctis filias, horrendo suo munere religiose fungentes, in scenam oculis conspiciendas produxit. Quo visu nihil potest gravius, et ad animos commovendos accomodatius cogitari. Quod cum ita sit, facile potest perspici, ad salutem Orestis necessarium esse, ut illæ sævissimæ sorores, ministræ fati molliantur et ab immani abducantur ferocitate: nec solo jussu atque auctoritate deorum, ipsi faventium, Orestem a miseriis suppliciisque vindicari posse. Hoc vero quotus quisque deorum poterit aptius, quam Minerva, sapientiæ justitiæque Dea, efficere? aut quisnam ubicunque terrarum locus magis esse poterit aptus tantæ gerendæ rei, quam illa omnium celeberrima, ipsique Minervæ sacra urbis Atheniensium?

Pythia grandæva Delphis, coram templo Apollinis, prologum agit, nostrisque in animis summam loci sanctissimi excitat venerationem. Templum deinde ingreditur, ut sanctam sedem occupet: sed visu exterrita monstrorum, qualia templum intrare antea nunquam viderat, subito resilit. Per januas patentes encyclematis supplicem, submissumque in genua Orestem in templi adyto a Furiis dormientibus circumdatum videmus. Dormiunt quidem Eumenides, sed visu tamen horrendæ incutiunt terrorem. Est vero nihil pulcrius, aut quo jucundius noster afficiatur animus, quam diras Erinnyas in templo Delphico, sopitas somno, obdormivisse. Misereque ab his numinibus vexatus Orestes hoc eodem in loco miseriarum ac laborum aliqua tandem fruitur quiete. Nam deorum templa miseris atque afflictis hominibus apertum præbent et salutare perfugium. Quam præclaram atque eximiam numinis Delphici vim ac benignitatem Æschylus exemplo hoc perquam ingeniose adumbravit: qua in re prudentissime tamen cavit, ne ad vana ac futilia delaberetur allegoriarum commenta.

Apollo, qui occidendæ matris auctor fuerat et suasor gravissimus [28]), nunc ipse in templo apparens cum Mercurio (vers. 64), Oresti potentem ac benignum se vindicem fore sancte promittit. Eundem hortatur, ut forti intrepidoque animo ad ultimam miseriarum metam, Athenas, deductus a Mercurio, properet. Quod ut conficiat mandatum Apollinis Orestes discedit Delphis, Athenas properaturus. Quantam vero perceperit ex præsentia numinis utilitatem licet jam suspicari; nam solus cum Mercurio, cui commendatus ab Apolline erat, dormientibus etiamnunc Furiis, aufugit. Mox vero eius post abitum Erinnyes graviter somniorum visis anguntur ob neglectum ulciscendi munus. Quæ harum dearum somnia Æschylus, in scenam producens umbram Clytemnestræ, ut ita dicam, oculis conspicienda exhibet. Qua in re velim animadvertas, Clytemnestram deorum omnium tam destitutam esse auxilio, ut nullum ipsi adsit perfugium, nisi in sævis immanibusque Furiis, dum Orestes auxilio adjuvatur numinum clementissimorum, salutique generis humani prospi-

28) Conf. vers. 576—577.

cientium; Minervæ atque Apollinis. Erinnyes vero, Clytemnestræ objurgatione excussæ somno, acerbissimum, ferociæque plenissimum exordiuntur canticum, quod acerrima cum Apolline, ipsas e templo suo ejiciente, excipit altercatio; in qua Erinnyes, incensæ ira, Oresti graviter minantur. Apollo vero huic se juveni semper suo affuturum esse auxilio profitetur. Qua finita altercatione, festinanter se Furiæ proripiunt, ut Orestem miseris gravissimisque poenis affligant. Verum has tamen Noctis filias non ita foedis squalidisque Æschylus coloribus designavit, ut nimium nobis injicerent terrorem, commoverentque nauseam. Qua in re multum inter se fuisse dissimiles priorem et posteriorem huius fabulæ editionem existimo. Quod utcunque sit, id tamen stabit, modum prudenter in horum numinum indole describenda Æschylum in hac nostra editione adhibuisse. Quod satis, ut equidem opinor, ex iis elucet, quæ ipsæ de se Furiæ testantur (vers. 507 seqq.), insontibus incorruptisque hominibus nihil ab ipsis periculi imminere, sed talibus licere vitam tranquillam beatamque peragere. Sontes autem, facinorosos atque impios gravissimis se et nulla

tur: sed Apollinis promissis fretus, Minervæ auxilium implorat. Erinnyes autem, supplicis nihil commotæ precibus, ad Minervæ usque adventum hymnum decantant δέσμιον: in quo supplicia Oresti gravissima minitantes, munus a fato sibi injunctum explicant. Tandem vero ipsa in scenam Minerva prodit (vers. 399), visuque dearum, quas nunquam viderat, obstupescit. Nec est, quod miremur hæc numina eo usque Minervæ fuisse incognita, nam omnibus cum veteris, tum recentioris ordinis diis exosa atque invisa sunt, vers. 718—719:

> Ἀλλ' ἔν τε τοῖς νέοισι καὶ παλαιτέροις
> Θεοῖς ἄτιμος εἶ σύ.

Nunc vero insigne Orestis piaculum has diras horrendasque Noctis filias ad lucem solis nuper provocaverat.

Deinde coram Minerva judice suam utraque pars causam strenue agit. Huius enim deæ arbitrio atque auctoritate tam Orestes, quam Eumenidas hanc controversiam dirimendam componendamque tradunt: Orestes jussu Apollinis, Eumenides bonæ suæ causæ, deæque sapientiæ confidentes. Minerva autem, utraque parte audita, hanc litem graviorem esse, quam quæ humana

possit intelligentia dijudicari, sapienter ac modeste denuntiat (vers. 467). Est enim culpa, quam in Orestem Eumenides inferunt, gravissima, nec facile demovenda. Verum ab altera parte nefas est, illum auxilio præsidioque destitutum depellere ac repudiare: nam ira supplicis præsertim si bene lustratus venerit (vid. sup.), maximam habet vim ad indignationem concitandam deorum hominumque (vers. 227—229). Lucubenterque e cautione summa, rerumque prudentissima moderatione, qua rebus cum futuris tum præsentibus optime Minerva prospicit, altiorem huius deæ sublimioremque perspicimus sapientiam. Quid? quod ne sibi quidem ipsi hanc litem dijudicare licitum esse censet: et id quidem recte ac sapienter. Nisi enim tam circumspecte ac caute versata esset, iram odiumque alterius partis sibi populoque Attico necessario contraxisset, speciem injustitiæ, partiumque favoris non effugisset, nec saluti futuri temporis tam egregie prospicere potuisset. Illa igitur incommoda devitandi causa, præstantissimos Athenarum cives convocandi consilium capit, ut jurati non solum hanc, sed in posterum omnes gravioris momenti

testis, defensor ac patronus Orestis (vers. 575—76); cuius adventum sibi non gratum exoptatumque esse ipsæ Eumenides testantur (vers. 571—72). Ut vero animis notionem informemus scenæ, qualis in hac Eumenidum posteriori parte fuerit, breviter quasique prætereundo hoc loco monitum sit: in medio pulpito positum Minervæ fuisse templum. Cuius a sinistra parte patebat regia, quo convertentes oculos Apollinem spectatores Delphis eo advenientem conspiciebant: a dextra parte ipsa conspiciebatur Athenarum urbs, forum subselliis, in quibus sedebant judices, instructum [29]). — Erinnyes itaque, jam antea Delphis odium Apollinis et auctoritatem, expertæ, ipsum repellere, et a studio Orestem defendendi cohibere conantur. Verum frustra! nam deus generosissimus, et in promissis servandis constantissimus, ab officio exsequendo se nulla ratione patitur absterreri; sed fortiter in eo se permansurum esse ingenue profitetur. Minerva (vers. 579) nunc Eumenidas loqui et causam

[29]) De theatri fabrica, et omni exornatione vide: Vorlesungen über dramatische Kunst und Litteratur von A. W. Schlegel 1ste Th. S. 76 sqq.

orare jubet: nam id moris erat, ut dicendi copia primum accusatoribus permitteretur (vers. 579—81). Suam deinde causam cum utraque pars strenue seduloque egisset, in suffragia tandem Minerva Areopagitas mittit. Apollo autem atque Erinnyes, dum judices suffragia ferunt, variis oppositisque sententiis et argumentis se suasque causas commendare pergunt. Computatisque suffragiis, æqualis in utramque partem reperitur numerus calculorum. Unde quam sit ardua, quamque ambigna hæc res, velim animadvertas! In eum igitur locum res omnis redit, ut Minerva, suo calculo alterutri parti dato, rem in pari suffragiorum numero quasi fluctuantem decernat. Hæc vero augustissima dea suffragium suum se Oresti daturam esse jam versu 732 denuntiavit. Liberatusque igitur piaculo Orestes absolvitur. Quo pronuntiato judicio (vers. 749—50), juvenis lætissimus, gaudioque exsultans, Minervæ, Apollini et Jovi gratias agit ardentissimas, quas Errinyum diræ imprecationes excipiunt (vers. 773—790). Ipseque Orestes, nunc rex Argivorum, cum Atheniensibus æternum et nunquam violandum foedus pangit.

Jam sæpius monui ostendique, artificiosa exornatione rationum, quibus ad ulciscendum patrem Orestes induceretur, poëtam callide effecisse, ne inepta hæc eius liberatio, et contra jus et æquum fieri videretur. Quæ omnia non juvat repetere: nonnulla vero addenda sunt. Non ultimum locum tenet inter hos stimulos ultionis jus par pari referendi, quod talionis vocant, quodque antiquissimo tempore multum valuisse constat. Nec oportet oblivisci, quo foedior magisque abominanda vita Clytemnestræ appareat, eo justius quoque et æquius hac in re jus talionis nobis videri. — Unum præterea adhuc restat argumentum, quo in hac fabula sæpius Apollo atque Minerva utuntur ad cædem Clytemnestræ factam a filio defendendam. Quod argumentum hi ipsi dei, laude humanitatis cæterum insignes, ducunt a summo acerbissimoque sexus muliebris contemtu, conf. vers. 655—663, 731—737 et passim. Erat talis foeminarum contemtus isto tempore vulgaris quidem, et plane, ut ita dicam, græcus, sed nihilo tamen minus dignissimus est, qui a nobis vituperetur. Quæ res paulo accuratius explicanda esse mihi videtur.

Jam alio loco dixi, quemvis artium liberalium æstumatorem debere in aliorum temporum hominumque mores et ingenium se omni studio insinuare. Quod si imprudenter negligit, necesse est, ut, notionibus sui ævi moribusque irretitus atque illaqueatus, turpissime erret in artium liberalium et ingenuarum operibus dijudicandis. Habet vero quodvis plerumque ævum quædam propria sibi, a graviori ac sublimiori poësi aliena, quæque ad historiam potius, quam ad poësin esse referenda dixeris. In rebus igitur eiusmodi, quibus constans et communis sensus humanitatis violetur, adhibendis cauti providique esse poëtæ debent. Earum enim usu temerario poësin virtutis, humanitatis, cultusque liberalis omnis magistram atque adjutricem, in asperam incomtamque barbariem deducere judicandi sunt. Quod quamvis ita sit, tamen oportet meminisse: singula singulorum hominum facta, nostris notionibus de justitia pietateque repugnantia, si longe a nostrorum temporum memoria sint remota, posse ingenio et arte poëtarum ita temperari et quasi deliniri, ut sensus nostros intimos commoventes, vere tragica optimo appellentur jure. Cuius rei *exemplum* jam supra luculentum attuli, nec

licet nunc de hacce re fusius tractare, sed sa
tis erit monere, me hoc loco de Tragoedi
non de Comoedia loqui. Præterea sempe
præcipueque in dramatis, diligenter a nob
quærendum est, a quibusnam personis
quonam consilio talia proferantur. Cuius r
accurata consideratio ad verum judicium d
eiusmodi rebus nostris animis informandu
multum utique facit. Permulta enim sun
quæ in dramatis ab aliis personis apte et di
et agi possint, ab aliis vero non ita. Quo
qui negligunt, in gravissimum facile incide
errorem, et singula per se quævis bona just
et pulcra in dramatis esse debere stulte op
nabuntur. Qua tamen opinione nihil perve
sius cogitari potest: nam vera dramatu
præstantia et pulcritudo in universa fabri
et compositione cernitur magis, quam in si
gulis eorum partibus. — Quæritur itaq
primum, quales sint, cuiusque indolis
qui in hac tragoedia talem tamque foedu
contemtum sexus muliebris profitentu
Sunt autem celsissimi nobilissimique d
Minerva atque Apollo, quorum deorum
tutela præsidioque positam virtutem omne
atque humanitatem esse videmus. Facil
meque potest perspici in eos, utpote tal

nihil, quod sit turpe, humile inhumanumque cadere oportere.— At alia forsitan tam gravis fuit, tantique momenti causa ista proferendi, ut sine maximis incommodis non potuissent abesse? Verum ne hoc quidem concedo: satis enim multa, eademque longe meliora, tam in hac nostra fabula, quam in Agamemnone Choëphorisque jam ante allata sunt ad excusandum, defendendumque illud ab Oreste commissum facinus. Nec possum ullo modo in animum inducere meum, ut probem, laudibusque efferam id, quo operi pulcerrimo præstantissimoque sit quasi adspersa macula. Sophocles ipse Atheniensis, græcisque imbutus moribus, in iis, quæ sunt reliquæ, tragoediis ad eiusmodi nunquam vitium delapsus est. Verum ad nostrum revertamur propositum.

Orestes quæstione liberatus absolvitur. Verum in hoc non subsistendum, sed argumentum fabulæ ulterius persequendum esse prudenter Æschylus intellexit. Erinnyes enim inproviso atque inopinato harum rerum eventu offensæ, diras et valde horrendas in populum Atticum, quin in ipsam rerum naturam, imprecationes, ut ita dicam, evomunt. Quam earum atrocissimam, et huc

usque semper implacabilem ferocitatem Minerva sua summa atque divina vincit sapientia. In qua partium sibi inimicarum reconciliatione diligenter ingenioseque describenda extrema huius fabulæ pars versatur. Eumenides, justis et æquis finibus circumscriptæ, Athenas in posterum se sancte custodituras esse profitentur. Earumque cultui in lucu, ab ipsis denominato, fanum, vicinum Areopago, religiose consecratur. Quo tanquam ad domicilium jussu Minervæ a magna, splendidisque vestibus induta, caterva solenniter deducuntur:

Ὅπῃ ἂν εὐφρὼν ἡδ' ὁμιλία χθονὸς
Τὸ λοιπὸν εὐάνδροισι συμφοραῖς πρέπῃ.

Tandemque finem huic facit tragoediæ cantus populi, qui Eumenidas, nunc propitias atque benignas prosequitur ad venerandissimum, nulloque pede conculcandum lucum, quem nuper ipsis Minerva consecraverat.

Gaudio hanc fabulam quam maximo animos Atheniensium complevisse et quasi cumulasse, perquam probabile est. Per se etenim tam est pulcra, ut facile digna sit, quæ ad præstantissima artis tragicæ monumenta referatur. Laudantur in ea præterea, et summopere prædicantur illæ, ut ait Cice-

ro, omnium doctrinarum inventrices Athenæ. Denique in hac fabula amplissimi celeberrimique Areopagi, quem Athenienses summo sibi putabant esse decori, institutio et consecratio, ad Minervam conditorem relata, æternæ commendatur memoriæ. Quibus omnibus nescio, an nihil Attico populo magis esse gratum acceptumque potuerit. In fabula: Persis igitur virtus Græcorum maximeque Atheniensium ab Æschylo celebratur: in Eumenidibus justitia eorum atque humanitas summis ad coelum laudibus extollitur. Qua in re oportet meminisse, quod alio jam loco dixi, Æschylum commisisse nunquam, ut ad humilem abjectamque adulationem turpiter prolaberetur, quo vitio poëtæ male ambitiosi in risum cavillationemque plerumque incurrunt hominum intelligentium.

Supplices.

Incertum est, utrum hæc fabula ab Æschylo adhuc juvene, an ab ipso jam senescente et languescente, conscripta sit. Qua de re video dissentire duos ingeniosissimos viros A. W. Schlegelium et Boeckhium. Neque id est, quod miremur: nam eadem argumenta utrique sententiæ confirmandæ inservire quodammodo possunt. Primum de choro quæritur, utrumne quindecim, an quinquaginta personis constiterit? Si enim haberemus compertum, non plures quam quindecim Danaïdas (quas quinquaginta fuisse constat) in hac fabula apparuisse, tum nullo modo dubium foret, quin post legem de choreutarum numero circumscribendo hæc tragoedia docta esset. At Boeckhius (l. c. pag. 62), qui omnes nervos ingenii intendit, ut hanc suam propugnet defendatque sententiam, nullum tamen gravius ac firmius argumentum affert, quam silentium de hac re Æschyli, quem plus semel magnæ frequentiæ choreutarum mentionem dedita opera facturum fuisse opinatur, nisi sedulo consultoque earum paucitatem reticere et quasi dissimulare voluisset. *Quod* argumentum summi et sagacissimi viri

quam sit levis dubiæque auctoritatis, nemo non facile videt: præsertim cum tanta frequentia choreutarum ante istam legem haud adeo esset rara, ut in ipsa fabula *verbis* eam Æschylus significaret. Neque tamen Schlegelius (l. c. pag. 159), qui egregie multa de hac fabula disputavit, aliquid profert ad suam de majori numero choreutarum sententiam comprobandam, præter simplicem, argumentorumque præsidio nudam affirmationem. Est itaque hæc res incerta, et in ambiguo relinquenda. — Præterea animadvertendum est, chorum in hac fabula non sociam tantum rerum gerendarum, ut in Eumenidibus, sed primarum partium actorem esse. Quod formam Tragoediæ vetustiorem, nondumque perfectam indicare videtur. Verum ab altera parte his cantibus non ille inest vis et vigor, quem in cæteris, quæ exstant, huius poëtæ fabulis admiramur. Jejunitate quadam languescunt, et sine animi motu nos sinunt quodammodo refrigescere. Sed talis languor longe mihi quidem videtur abesse ab illo juvenili fervore ingenii, de quo jam ante a me plura dicta sunt. Itaque ne hinc quidem ullum petere argumentum licet ad illas summorum virorum aut probandas

aut refellendas opiniones. Quodque de cantibus in hac fabula choreutarum dictum est, valet idem de universa tragoediæ huius indole et compositione.

Supplices duas alias habuisse secum conjunctas: Ægyptios et Danaïdas (quarum nomina in catalogo exstant fabularum deperditarum, vid. Fabricii bib. græc.), et mediam inter eas fuisse, Schlegelius ingeniose conjicit. Quæ de Beli filiis, Ægypto et Danao, vulgo narrantur, vulgata, satisque omnibus nota sunt. Hæc vero fabula: Supplices (Ἱκετίδες), incipit ab adventu Danaïs, eiusque filiarum ad Argos profugentium, ut præsidium auxiliumque Pelasgi, Argivorum regis, adversus Ægyptum, eiusque impios filios implorent. More supplicum gestantes ramos lineis vittis obvolutos ad deorum (θεῶν ἀγωνίων) aras consedunt. Animum Pelasgi ad misericordiam suis parentisque precibus tandem flectunt. Argivorum populus, re comperta, præsidio ac tutamen his, ab Jo oriundis, puellis præbendum esse una voce clamat. Quibus ita peractis, rex cum suis satellitibus opportune eo ipso temporis momento advenit, quo præco ab Ægypto, filiisque missus in eo jam est, ut miseras puellas per vim a *sanctis* sedibus abducat.

Solæ enim ibi remanserant Danaïdes, loci præsidio fretæ, dum Danaus auxilium arcessendi causa abesset. Palasgus vero Ægyptiorum tanta tamque immani impietate offensus, præconem minis gravissimis insequens ad dominos dimittit: sanctequa se omnia potius experiri, quam hospites deserere malle profitetur. Immo etiam Danaïdas, utpote quæ antiquo civitatis jure gauderent, ad urbem magna cum pompa deduci jubet, ut domicilium, quodcumque vellent, sibi deligerent.

Eadem, cuius jam alia occasione mentionem feci, negligentia in moribus aliarum gentium describendis, in hac quoque nobis se offert fabula, ut bene Schlegelius observavit. Nam Danaïdes, in Ægypto natæ educatæque, quarumque origo alienigena in ipsa fabula sæpissime commemoratur, Græcorum plane more vivunt et agunt.

Ultimum est, ut pauca de textus obscuritate, præsertim in chori cantibus, dicam. Nam textus in hac fabula tot et tantis est corruptus vitiis, ut nihil supra cogitari possit (ex. c. vers. 849—923). Haud quidem infitias ire licet, Æschylum natura atque ingenio nonnunquam obscuriorem esse: nec

dubitationis aliquid habere mihi videtur, quin Critici nonnunquam loca a manu ipsius Æschyli intellectu difficilia, sollicitaverint, irritoque labore mutaverint magis, quam emendarint. Tamen est confitendum, passim apud Æschylum, inprimis autem in Choëphoris Supplicibusque, in plura nos incidere loca, quæ vitiis tam referta, atque corrupta sint, ut pro desperatis ea conclamatisque habere sæpius cogamur. In locis vero eiusmodi modesta tam interpretis, quam emendatoris est cautio adhibenda, ne in turpissimum crimen incurrant vanitatis ac temeritatis, cuius insigne documentum nobis exhibuit novissimus apud Germanos et male sagax editor Berolinensis. Quem si forte quis censeat magno et honorifico Critici dignum nomine, id, si modo sibi constare velit, necesse est, Mureto, Bentleio, Wolfio, aliisque summis nobilissimisque viris abjudicet. Tali etenim indulgentes tam pervicaci ac protervæ in mutando corrigendoque perversitati, mox alios utique, verum, si quid modo video, vix meliores auctores græcos latinosque habituri sumus.